



- 1.) do. auss. 20. Cel  
 2. Kypriani Diff. de Historia ejusq; nomini ab ipsa  
 3. Nolterij Differt. de Olympia Norata vita  
 4. Darmstadt. Vrta Thoth. Ern. Tentely  
 5. e Neukengi Diff. de Memoires  
 6. Ballenfeldy vita M. Saligij Cour. Welsch.  
 7. Breithaupty vita Goeteli Helmst.  
 8. Teuben Diff. de paradyso terrestri  
 9. Capp. Abel Epitome Monarchiaru  
 10. Basshuyzen de fectis IV Monarchiaru  
 11. Nollerij Diff. de Annio Esterbieni  
 12. Rosen de Palladio  
 13. M. Greeny II Diff. de Sibyllis  
 14. Salpij Differt de Laudib; veteris German.  
 15. Dietmari Stift. Comitatus Teyskerbant  
 16. Ag. Stranechij Diff. de Islandia  
 17. Joh. Olliequart Hispania Caroli Gustav  
 regis lucere aa Descriptio  
 ventum Reg. Kristine  
 18. H. G. Thulemarij Diff. de ordine  
 Exciutum S. Georgij & per seclidis  
 19. vortz lebeis Diff. Trum antequ. numismata  
 Italicis, Antonini Caracalla & Galies  
 20. Grossv. am Rhein do. Ant. zwey do  
 Seidm dr Flemming d. c. Grat. am Rhein  
 21. Lueckfelds, Fift. Haerfuss 179 do. Monum  
 1780 bis 90 fapt del gravurade

5

DISSERTATIO HISTORICA  
*DE*  
**OLYMPIÆ  
MORATÆ,**

VITA, SCRIPTIS, FATIS  
ET VIRTUTIBUS :

IN QUA

MULTA, HISTORIAM RENATI IN ITA-  
LIA TEMPORE REFORMATIONIS EVANGE-  
LII ILLUSTRANTIA, ADSPERGUNTUR;

ATQUE

NONNULLI ERRORES EORUM, QUI HACTENUS  
DE VITA OLYMPIÆ COMMENTATI SUNT,  
MODESTE EMENDANTUR

A  
**GEORGIO LUDOVICO  
NOLTENIO, J. A. F.**

---

FRANCOFURTI ad VIADRUM,  
Typis SIGISMUNDI GABRIEL. ALEX. MDCCXXXI.

1231

DIESELBITAPIO HISTORICA

DE

O L Y M P I E  
M O R A T A E

ALIUS SCRIBIT, RAYUS

TE LIBERATURIS:

ETC.

MULTA DEDICATA RENATA IN ITIA.  
ORIGINIS AVAREZ  
HABITATUR ALIAS ADOPTATUR

DOMINICUS RICARDUS DE GOMBERG  
DE AUTORES ET HISTORIIS  
MODERATOR ET CENSOR

EUDORIO IN BOCAGE  
NOTATIONES

ANNALES ET ACTA ROMANA  
EX ALIAS ET ALIAS GOMBERG



## Lectori S.



LYMPIÆ scribo historiam,  
non *Maldachinæ*, quæ Innocentium X. ad Pontificatum  
provexit, & per eum Eccle-  
siam Romanam gubernavit;  
Sed *Moratæ*, piæ, castæ, do-  
ctæ, & vere Christianæ feminæ, quæ Pontifi-  
cum supercilio insuper habito, soli se Christo  
dicavit, atque inter mulieres, quæ eruditionem  
cum vera Religione conjunxerunt, principem  
meretur locum.

In Gymnasio Regio Berolinensi stylo latino  
perpoliendo operam danti, dedit in manus Pa-  
rens Venerandus hujus Olympiæ opera, ut stu-  
dium meum doctissimæ puellæ exemplo magis  
incitaret. Cum ista legilsem & relegilsem, ita  
eius amore captus sum, ut ad commendandam  
posteritati memoriam tantæ heroinæ, de nova  
opusculorum ejus editione cogitatio mentem  
subierit.

A

Potu-

Postulare id mihi videbatur exemplarium  
raritas, quippe post Editionem ultimam quæ  
Basileæ 1580. lucem adspexit, nemo de recu-  
dendis aureis his scriptis cogitavit. De ista ra-  
ritate jam suo tempore questus est *Colomesius*.  
(a) Verum insignis hic Bibliothecarius duas  
tantum vidit operum Olympiæ editiones: *Se-  
cundam* de anno 1562. quam primam esse pu-  
tavit; & *quartam* de anno 1580. quam secun-  
dam nominat. *Irenaus Bibliophilus* (b) edi-  
tiones Olympiæ magna diligentia recensens tres  
tantum sibi innotuisse fatetur. Mihi vero licuit  
esse tam felici, ut quatuor editiones (plures e-  
nim exstare vix putem) oculis meis viderim ac  
diligenter contulerim, quas heic recensere Le-  
ctori non ingratum fore censui. Curavit duas  
priores *Cælius S. Curio*, & omnes typis ex-  
scripsit *Petrus Perna* in urbe Basilea.

Prima omnium editio prodiit anno MDLVIII.  
Hanc exstare, *subsolui* ex Andreæ Campani ad  
C. S. Curionem epistola 3. Id. Mart. 1559. con-  
scripta (c), didici a Cel. Polyhistore M. V. de la  
*Croze* in Catalogo Bibliothecæ Bodleianaæ re-  
periri, perspexi denique beneficio Illuſtris L. B.  
de Kameke, non generis solum, sed virtutum

deco-

(a) Bibliothèque Choisie p. | Brem. Claff. VII. Fasc. 7.  
45. 46. | p. 579. 580.

(b) Bibl. Hist. Phil. Theol. | (c) Opp. Olymp. p. m. 209. hac

decore splendidis, qui hanc rarissimam editionem benigne mecum communicare dignatus est. Multa equidem in hac editione desunt, quæ postmodum per amicos Gœlio S. Curioni transmissa, & magno studio conquisita, in secundam, & tertiam præcipue congesta fuere. Id tamen habet hæc editio eximii, quod *Carmina Olympiæ Græca* multo emendatiora exhibeat, quam editiones subsecutæ, ita ut non pauca *Typhothetarum sphalmata* in posterioribus admissa, ex hac prima emendare, mihi datum fuerit. In primis vero insigni C. S. Curionis ad *Isabellam Manricham Bresegnam* illustrem ac religiosam feminam (*d*) dedicatione se commendat; quam si legissent, qui de vita Olympiæ commentati sunt, non scripsissent cum *Colomesio*: ipsam demum 29. annos natam Hei-

A 2 delber-

verba Campani leguntur.  
„Comitum Er-  
„bacenfium concionator,  
„haud vulgaris meus a-  
„amicus, Olympiæ libel-  
„lum typis Bafilex excu-  
„sum mihi dono dedit,  
„Cæli Theologorum or-  
„nementum. Perlegente  
„me igitur Præfatione,  
„intellexi, adhuc reliqua-  
„epistolarum ab illa scri-  
„ptarum te percupidum

„esse, mitto itaque ad te  
„duas ab illa, tres a Do-  
„ctorre (Grunthlero) ad  
„me datas &c.  
(*d*) cuius pietatem Iosias  
Simlerus in vita P. Marty-  
ris hoc modo celebrat.  
„Fuit eo tempore (cum  
„Martyr Neapoli versare-  
„tur) non sfernenda Ec-  
„clesia piorum hominum  
„in urbe Neapolitana :  
„nam in illo cœtu multi

delbergensi ex cathedra publice docuisse; quippe in hac dedicatione Cœlius testatur, Olympiam vix sedecim annos natam (se, cum multis aliis & mulieribus & viris audiente) in privata Reginæ Ferrariensis Academia Ciceronis paradoxa explicaturam, ~~deorum~~ memoriter & venuste pronuntiasse. Hæc præfatio novæ editioni, quam meditamur, omnino præfigenda erit, quamvis *Elisabetha Regina* nomen (cui tres subsecutæ Editiones a Cœlio dicatae sunt) Isabellæ Manrichæ memoriam obscuraverit.

*Secunda* editio longe auctior prodiit anno MDLXXI. quam typorum elegantia præstantissimam servat Augustissimi ac Potentissimi Regis nostri Bibliotheca Berolinensis. Nec tamen mendis, præcipue in Græcis Olympiæ carminibus, caret.

*Tertia* successit Editio post Cœlii S. Curionis fata anno MDLXX, prioribus duabus plenior; accesserunt enim Olympiæ Epistolæ latinæ octo, Italicæ duæ, Epitaphia duo, Cœlii denique Curionis Epistolæ atque orationes complures. Hanc mihi concessit Vir laudatissimus Matu-

„erant viri nobiles & do-  
„cti, multæ etiam excel-  
„lenti virtute feminæ, in-  
„ter quas ut alias illustres  
„& vere heroinas omit-  
„tam, silentio tamen præ-

„terire non debo nobis-  
„, lissimam Heroinam Iza-  
„, bellam Manricham, quæ  
„nunc Christi nomine a  
„, patria exulat.

Maturinus Veyssiére de la Croze, qui pro suo  
in me affectu, ad hæc edenda calcar addidit.

*Quarta & ultima, omnium plenissima E-  
ditio, in meis versatur manibus. Prodiit illa  
Anno MDLXXX. & tertiam plane exprimit ut &  
paginarum numerus coincidat ubique. Addi-  
tæ tantum sunt M. Ant. Paganitii Fabellæ  
ex Æsopo latine factæ & Joh. Boccatii qua-  
dam ex Italico.*

Omnibus his Editionibus adsuitur *Hippolyta  
Tauræ Mantuana Epistola ad Maritum  
suum Balthasarem Caſtalionem apud Leo-  
nem X. P. R. Oratorem*, carmine elegiaco e-  
legantissimo conscripta & lectu dignissima;  
quam tamen ixoris nomine a marito effictam  
vult Celeb. *Ih. de Hæſe.* (e) Quomodocunque  
se res ista habeat, Olympiæ nostræ opera sup-  
posita non esse, in comperto est.

Antequam vero novam hanc editionem ad-  
ornarem, meisque observationibus illustrarem,  
visum est, brevem fatorum Olympiae seriem his  
pagellis enarrare, in quibus Historiam *renati  
sub Renata in Italia Evangelii*, sed pontifi-  
cum furoribus extincti adspergere lubuit;  
quam ut lector pius ac benevolus benigne re-  
spiciat, & conatibus juvenilibus faveat, est  
quod enixe rogo.

A 3 CON-

(e) Bibl. Brem. loc. cit. p. 379.

## CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

- |   |   |
|---|---|
| <p>§. I. Parentes Olympiae, Fulvius Peregrinus Moratus, Lucretia.</p> <p>§. II. Educatio.</p> <p>§. III. Adolescens recipitur in aulam Ferrarensim.</p> <p>§. IV. De Renata.</p> <p>§. V. de Anna Principe.</p> <p>§. VI. Purioris religionis in aula Renatæ statores &amp; fautores extranei. (a) I. Calvinus. (b) Clem. Marottus (c) Leo Lametus.</p> <p>§. VII. Itali. (a) M. A. Flaminius. (b) Marcellus Patingenius. (c) Petrus Martyr. (d) Phannius. (e) C. L. S. Curio. (f) alii.</p> <p>§. VIII. Anna &amp; Olympiae preceptores.</p> <p>§. IX. Olympiae profectus, scri-</p> | <p>pta &amp; lectiones publicæ.</p> <p>§. X. Exitus ex aula.</p> <p>§. XI. Vita privata.</p> <p>§. XII. Pericula ob persecutionem.</p> <p>§. XIII. de Phannio martyre.</p> <p>§. XIV. Olympiae nuptiae.</p> <p>§. XV. Migratio in Germaniam.</p> <p>§. XVI. In patriam Gruntheri Suinfurtum.</p> <p>§. XVII. Calamitas Suinfurtenis.</p> <p>§. XVIII. Suinfurtense excidium &amp; Olympiae exilium.</p> <p>§. XIX. Sedes Heidelberg.</p> <p>§. XX. Olympiae morbus.</p> <p>§. XXI. Mors &amp; Epitaphium.</p> <p>§. XXII. Elogia.</p> |
|---|---|

### §. I.

§. I. Parentes Olympiae.



Fulvius Peregrinus Moratus.

LYMPIA Fulvia Morata anno Seculi decimi sexti vigesimo octavo, Ferrariae tum illustrium duorum Estenium sede in lucem edita: ex parentibus Fulvio Peregrino Morato & Lucretia progenita est. Pater Olympiae, quem Mantua produxit, eruditis & probis istis viris merito accensendus venit, qui doctrinam

ctrinam Evangelii tum limpidius prorumpentem & in Italicis regionibus fluitantem avide imbiberunt, alisque, degustata ejus dulcedine, ceu aquam purissimam hauriendam dederunt. Ferrariæ professoratus humaniorum munia summa industria obiit: *Cœlius Calcagninus* successus egregios & prosperos Morati hoc in difficillimo munere adeo collaudat, ut nihil supra (a); Ibidem Alfonsi I. Ducas Atestini filios Herculis II. fratres duos literis bonisque artibus instituit ac perpolivit (b). Verum hac in aula multa adversa, multa iniqua aliquandiu patienter tulerunt Erant, qui forrunam Morati, quod æque a Princeps ac studiis diligenteretur, invidis oculis & improbo animo intuebantur, qui calumniis famam ejus inquinarunt, tantumque molestia eidem crearunt, ut tandem præ tædio & indignatione solum vertere coactus fuerit. Venetiis diu exulem egit, ubi solidis rationibus motus, adversarios extimescens nomen *Fulvii* ascivit, sub quo velamine tutius aliquantis per delituit (c). Ira adversariorum sopita, evicta Morati innocentia, videtur intimus Morati amicus Cœl: *Calcagninus* effecisse, aut ita mentes aulicorum direxisse, ut ipsi Ferrariam redire Dux permiserit (d).

Prin-

(a) Moratum in Epistola in oper. Calcagnini pag. 156, 157, obvia alloquitur: *Boni & Studioſi* omnes te amant, teque in oculis gerunt, senturque omnes tuo digressu urbem nostram (Ferrariam) magnum jasuram fecisse: quando corrum adolescentium plerique, qui Tibi operam in comparando animi cultu dabant nunc ceteros prope omnes privatos professores stomachantur, ingenue af-

ferentes neminem esse qui vel copia vel delectu rerum secum conferri posset.

(b) Vide opp. Olymp. pag. 96. 97. Edit. 4ta.

(c) Teste Calcagnino in Epist. pag. 189, ubi hanc Morati in Fulvium Metamorphosin falsè perstringit.

(d) videbis Opp. Calcagnini pag. 168, 169, 199.

Principia veritatis Evangelicæ ex Cœlio S. Curione hausit, qui antequam Basileam patria pulsus concederet in Italorum terris hæserat: id Moratus ipse prodidit in Epistolis duabus ad C. S. Curionem datis; in quarum altera Curionem sic compellat, *Vale optimum organum ac vas electum ad Dei gloriam: & in altera, Triſte mihi fuit, cum videam me privatum meo divino preceptor, a Deo ipſo ad me, ad meam eruditonem ac institutionem misso; neque cogito Ananiam Pauli magistrum plus sanctis admonitionibus ac disciplinis Christianis illum docuisse cum Chriſto initiauit, quam tu me &c.* Moratus noster multis virtutibus exornatus homo præ aliis probitatis laudem ſectans, quod quæſiverat, affeſcus est; Coelius S. Curio Xyſto Betulejo de familia Morati verba faciens, eum nuncupat, *virum doctrina & probitate præſtantem, cum quo ipſi hospitium antiquum & amicitia fuerit.* (e) Si ex scriptis etiam scriptoris cuius libet indolem auguramur, pietatis odorem ſane in paucis Morati reſiduis Epistolis nemo non ſentiet: attamen erroribus eum, uti omnes qui infra Lunam degimus, obnoxium fuifſe, non miramur; maxime iſti, (tum temporis in Italia ſerpenti) quod crediderit, priuquam Deum invocaremus, ſcire oportere, *an ab aeterno tempore nos elegiſſet?* quam ſententiam veterem errorē appellat filia Olympia in Ep. ad Laviniam Ruver. Ursinam, cui hæc ſcrutari diſſuadet & potius a misericordia divina opem implorare jubet, atque Beati Lutheri huc facientia ſcripta commendat. (f) Coelius Calcagninus ſummo studio hunc

(e) leguntur hæc in Opp. Olymp. pag. 96. Conferri merentur Epistolæ Calcagnini ad Moratum, in primis ea, qua in Opp. ejusdem pag. 191. reperitur.

(f) in Opp. Olymp. pag. 106, conferre huc pag. 179 & 180, ubi eadem dexteritate Olympia Sorori Victoriae erroris hujus futilitatem aperit.

hunc scrupulum Peregrino Morato demisit, cujus verba ponderosissima ex litteris controversiam hanc apprime illustrantibus infra adjicere lubuit (g). Eruditionis Morati documentum certissimum est epistola,

B

(g) Inveniuntur hæ literæ in Opp. Calcagnini pag. 193, 196, sq. ubi sequentia Calcagnini, ad Moratum: verba leguntur „Certum enim & confessum est, nos tristis conatus per se nihil præstare, nisi gratia accesserit. Auctius etiam illud affligerare, gratiam nunquam affuturam, nisi animus nostrus fuerit ad eam suscipiendam, præmunitus atque apparatus: ea semper excipio, quæ ab inseparabilis indulgentiis Dei bonitate proficiuntur, quæ privilegiū vocem habent; quæ ha sunt predestinationes mura, quæ quoniā mortaliū captiuorum exuperant, satius est ut silentio quam oratione transmittantur, utpote in recessu imperio divine præficiat, entia delitescantia. Illud rursus verum est, fidem abdicationis operibus inanem esse & placuisse fidem esse desinere. Nam operibus fides comprobatur: quando & Abraham fidei patitur, illam fidem tenuit atque in delitiose habuit, quæ in suo haberet comitatu opera, fidei apta & consentanea. Ob id Christianum hominem par est illud habere persuasum, & fidei & fidei testimoniorum est mandatorum observatione, conatus præterea & propensione animi nostri, sed multo maxime gra-

„tia & divina benignitate opus est, ut divinitus promissa conservetur. Niſi enim conatus noſter requiratur, niſi voluntas aliquid posſit proficere, in qua una positus est liberanimus motus; quod liberum arbitrium vocant, quid opus fuit mandatis? quomodo regnum Dei vim patitur? quomodo unicuique reddetur secundum opera sua? Stertamus licet ac per desiderium vitam agamus inclamantes Alba pater! Credentibus enim tantum & nihil præterea laborantibus nobis citra omnem charitatis functionem, divina virgula large omnia suppeditabit. Atque hic sane est ille veterum philosophorum *agere*, quo potestis sati osciantes omnia permittebant: quem ubi femei accepimus, cum legum & sanctionum omnium authoritas, omnis Philosophia quæ ad mores pertinet, omnes Evangelicæ præceptiones corriuant necesse est. Quod hisce Calcagnimus ipsius Morati sententiam falsitatis accuset, Epistole clausula me docuit, quæ sic sonat: *Hab' vero quum ad Te, (Moratum) scriberem, noli existimare, me ignorasse, quample, non sit temeritatis, se prudenter admonere, sed expressit hoc a me officium, mutuus amor, &c.*

ftola, qua de pronuntiatione Rhetorica filiam Olympiam tum duodecimum annum agentem edocet, quæ in Opp. Olymp. pag. 65-71. legitur; ut Cæliorum Calcagnini & S. Curionis de eo elogia silentio præteream. Obiit A. O. R. 1548. relictis uxore Lucretia, filiole Æmilio, & quatuor filiabus, quarum natu maxima nostra fuit Olympia (b).

*Lucretiam* matrem Olympiæ pietati & inculpatæ vita studuisse, natas natosque suos & amasse, & operam educationi eorundem dedisse fidelem, neque bonarum literarum expertem fuisse, C. S. Curionis ad eam data Epistola consolatoria (c), cum maxime comprobat.

## §. II.

¶. 2. *Educatio.* Redeamus ad Olympiam: vix sextum annum agebat, cum Cælio Calcagnino jam *festiva* audiret, jubet parentem Moratum, *Deliae puellæ* jam festive garnienti in frontem & aurem suo nomine suaviolum imprimere; idem ejusdem aliquantum ætate profectioris pudicitiam & modestiam celebrat. Parentum recta instituta hausit, idem corporis parens & animi formator divina quasi virgula Moratae obtigit; cuius laborem in recte instituenda Olympia inservit, non superficiarium fuisse, vel exinde pater, quod duodecimum ætatis annum vix prætergressa, non modo in Latina græcaque lingua sed & in Rhetorica & aliis disciplinis exercitata fuerit (d): unde paren-

(b) Colligo id ex literis Olympiæ, anno 1550. Augustæ Vindel. conformati; ubi Curioni narrat, ante biennium patrem suum multis exertatis laboribus, singulari in Deum fide ex hac turba & col-

litione discessisse.

(c) Opp. Olymp. pag. 195-199.  
(d) conferatur in Opp. Olympiæ Epistola Morati ad eandem, ordine prima.

§§ (ii.) §§

parenti apta visa, quæ in comitatum Annæ principis proveheretur, teste Curione: Fulvius eam a se literis diligenter pro puella ætate exornatam principi tradidit (b). Indolem ingenium & profectus ejus, quum Calcagninus perspexisset, ipsi suasor extitit, ut constanter in copta studia incumberet, & pro colo calamus, pro lino libros, pro acu stylum exerceret (c).

§. III.

Olympia nostra ætate imbecillis, tredecim vix §. 3. *Adolescus  
annorum puella, attamen a patre viro sapientissimo  
recipitur in  
aulam Ferræ.  
Ariensem.*

testinarum adducta, quarum & religio & virtutes ingenuæ ubique terrarum spectatae erant, ex quarum moribus & colloquiis proficeret, quibuscum & studia promovere poterat. Operæ pretium et paulo copiosius primum hujus illusterrimæ aulæ statum describere, quoniam a multis eruditis frequentata est & Renatæ temporibus aliquandiu purioris doctrinæ assertoribus sedem & asylum præbuit.

§. IV.

RENATA, Gallis *Renée*, Calcagnino *Ireneæ*, §. 4. *De Renatæ  
Paleario Herenea*, filia natu secunda Ludovici XII. Galliarum Regis & Annæ Britannicæ, nata est 15. Octobris 1509. Adulta, paetis initis Blæfis (a) cum Maximiliano Augusto, primum Carolo V. tum Archiduci Austriae ut nuberet Ludovicus pater promisit, dein ut Joachimus princeps Brandenburgicus eandem in matrimonium duceret, decretum fuit.

B 2

Neu-

(b) vide Opp. Olymp. pag. 205. | (a) à Blois.

(c) Opp. Olymp. pag. 80. 81.

Neutri Rex Gallorum promissis stetit, tandem cessit Herculi Ildo Duci Atestino in Ferraria & Mutina, cui desponsata anno 1527. nupsit anno sequenti. Hercules, dotis nomine ducatum Carnotensem & Pontem Archerium cum aliis in Francia locis accepit, præmii loco hanc natus conjugem, quoniam a paribus Gallorum steterat, ipse enim exercitui regis Henrici II. in Italia, tuiturus Pontif. Rom. Paulum IV. contra insultus Philippi II. Hispaniarum regis præfuerat, inde a Pontifice Rom. Titulo *Defensoris Ecclesiæ* honoratus, quem mox adversarius non Ecclesiæ, sed Papæ gerere desit(6).

Renata principem multi meritis laudibus sequuntur sunt. Calcagnino audit optima ac *præstantissima* princeps. Reza, ejus pietatem ait, celebrari: & revera fuit princeps variis scientiis & artibus exercitissima, adeo ut inter eruditissimas feminas locum optimo jure occupare queat: Philosophiæ & Theologie ultra quam sequiori sexui assuetum operam dedit, excelluit maxime in Mathezeos variis & profundis scientiis, Geometria, Astronomia, Astrologia (c). Maimburgius in historia Calvinismi loco infra (d) citato eandem simili ratione laudat, nam &

sapien-

(c) Conferantur Epistolæ gallicæ Francisci Rabelaissi cum observationibus Sammarthanorum Bruxellæ 1710. in duodecimo editæ. Epistola 3. & 14. Porro. Le Famiglie illustri: Italia di Francesco Sanfovino, nec non Maimburgii Historia Calvinismi Lib. 1. pag. 60. ad annum 1536. impri- min Baillius in Dict. Tit. *Ferrare*. (c) Vide Varillas Hiſt. Caroli IX. & in Hiſt. Haeres. item Brantoni vitas illustrum feminarum,

qui more solito ejus eruditatem hyperbolice exaggerant.

(d) Libro I ad annum 1536. Cette Duchesse avoit beaucoup d'esprit & de savoir, s'estant rendue, par une grande application à l'étude fort habile, sur tout dans la Philosophie ou elle excelloit à l'égal des plus célèbres Philosophes de son temps, & l'on ne peut nier, qu'elle n'eût durant toute sa vie dans l'âme un fonds inépuisable de bonté.

sapientiam & eruditionem & probum ac benignum Renatæ animum & omnia in Renata laudanda ingenue profitetur ; Sed Romanæ sedi mancipatus culpat in ea & vitio vertit nimium studium religionis, quod avide disquisiverit in quo cardo & differentia religionum versaretur, & quod afflitos, maxime Lutheranos (e), foverit & protexerit (f) : quod studium religionis verre scrutandæ nos inter maxima Renatæ elogia reponimus. Maimburgius equidem cavillatur, Renatam, Iulium II. parenti & Gallis omnibus adversum internecino odio prosecutam, ultionem agitasse, cumque armis impotens fuisset, ipsam patrocinando saltem Pontificis adversariis, Romanæ sedi nocere voluisse (g) : at ipse sua vincta cœdit, quoniam in præcedentibus jam dixerat, Renatam ingenio & eruditione sua abusam fuisse ad discernendas Religionum differentias & miseratio ne ductam viros aliquantum asperius in causa religionis exceptos patrocinio suo defendisse.

Aulam Renatæ commune quasi asylum, omnibus ob religionem persecutionem passis dedisse, non unus testis afferuit ; unde Calvinus & Marottus inter primos, aliique infra recensendi, de benevolo

B 3

ejus

(e) Ita generali appellatione olim a Papa differentes in Italia dicti,  
(f) Pergit Maimburgius l. cit. Mais par un defaut asiez ordinaire aux femmes de ce caractere, si elles ne le corrigeant par une grande humilité Chrétienne, elle emploia mal son favour, en voulant connoître les differens de la Religion & abusa de sa bonté naturelle, par une fausse compassion, qu' elle avoit pour des gens, qu' elle croioit être un peu trop

rudelement traités: de forte qu' elle eut le malheur aussi bien que la Reine de Navarre, de passer dans le monde pour une grande protectrice des Lutheriens.

(g) Varillafins, Brantomius, alii Pontifici Historici haud dispares rationes proferunt, quare Renata nostra Religionis frenoris assertoribus propitia fuerit, sed refutantur luculentè à Baiio in Dictionario Tomo II. Tit. Ferrare.

ejus erga viros probos animo certiores facti, eam visitarunt; & de veritate sollicitam in veritate confirmarunt, qui benignitatem & clementiam Renatæ maximam experti sunt. Verum hanc felicitatem saniorem doctrinam apud Renatam profitentibus non diuturnam contigisse compertum habemus; incurrit enim odium pontificis Julii II. & consobrini Regis Henrici II. qui, cum nimis Hæreticis, ut ajunt, addictam sentientes, maritum coegerunt ipsam omnibus modis dire persequi, is (b) Romanæ fidei obediens educatione liberorum, ne semina doctrinæ a Renata haustæ penitus reciperent, eam privavit, & severiora minatus est.

Mortuo Hercule II. marito anno 1559. religionis liberius servandæ gratia in Gallias remigravit amorem erga purioris religionis profectores secum ferens. In patriam reversa vitam suscepit privatam, per quindecim annorum seriem in arce quadam gallica Montargis longe remota a turba aulae Parisiensis vidua ætatem agens, ad mortem usque veritatem Evangelicam professa, benevolo animo Hugueno-

tos,

(b) Maimburgius I. cit. *on ne put jamais lui faire abjurer ses erreurs quelque effort que Henri II. son neveu fit, pour l'en retirer, jusques la même, qu'il obligea le Due de Ferrare à lui ôter l'éducation de ses enfans & la menaça d'un plus rude traitement.* Aliam rationem hujus Renate creatas molestias indicat Fr. Rabelaesus, nimirum quod Hercules II. partibus Gallosum desertus tunc Cæsari devovetus, ipsam semper Gallis faventem male habuerit, cuius verba sunt, Epistola III. ad Episcopum

de Maillezais: *De fait Monsieur de Limoges, qui estoit à Ferrare Ambassadeur pour le Roi, voiant que ledit Duc, sans l'advertisir de son entreprise s' estoit retire vers l'Empereur, est retourné en France. Il y a danger que Madame Renée en souffre faiblesse; Ledit Duc lui a osté, Madame de Sonbîe sa Gouvernante & la fait servir par Italiennes qui n'est pas bon signe. Quæ ratio priori à Maimburgio allegata non repugnat, sed potius veritatem rei gestæ confirmat.*

tos, ita dictos, tum persecutionibus & bellis vexatos, protegens, quorum, quum non pauci ad eam confugerent, istos, maxime paupertate affictos, omni studio refocillavit, adeo ut fere singulis diebus horum trecentos, charitate vere Christiana usq; teste Maimburgio l. cit. mensa exiperet & aleret. Sæviente imprimis lanea illa Parisiensi anno 1572. multos pios, inter hos Danielem quoque Toffanum Theologum cum familia hospitio exceptit. liberalitate juvit, authoritate defendit (i). Bailius præsertim in Lexico Tit. Ferrare ex variis Historiographis testimonia de Renatae & pietate, & constantia, & fortitudine adduxit, licet enim & maritus, & mox Reges Gallorum omni studio & industria Renatam in finum Romanæ Ecclesiæ retrahere anniterentur & nonnunquam graviter vexarent, nihil tamen egerunt, neque eam ab instituto dimoverunt, quod cooperat, alias ob religionem exules fovendi & tuendi. Die quopiam Dux Guisius Renatae gener, Annæ maritus, acerrimus Reformerorum hostis & persecutor, ipsam se vere monuit, ut quos secum in arce Montargis haberet rebelles profugos, ipsi traderet. Renuente Renata, ipse arcis obsidionem minatus est, sed neque sic obtinuit; Renata enim confidenter Guisio responsum dedit: Si ipsius tanta foret audacia ut arcem armis aggredieretur, sibi in animo constitutum esse, primam eo in loco propugnaculi versari, quem ipse tormentis labefactare cuperet & tum demum visuram, num auderet Regis filiam trucidare? quo sermone auditio Guisius re infecta cum exercitu

(i) Abräh. Scultetus in Ann. Ecclesiastica, in vita Renatae, in vitis illustrissimum seminarum Galliae, ad annum 1528; Confer. Branno-

citu discessit. Placide huic vitæ valedixit anno 1575. multis obitum ejus dolentibus, quod pietatis eximiae laudem mereretur. Suscepereat e Hercule II. filios, primum Alphonsum II. ultimum Ferrariae e stirpe Atestina ducem, alterum Ludovicum Cardinalem; filias autem, natu maximam Annam, natu minimam Lucretiam, quæ Franciso Mariae II. postremo Spoleti, Urbinatum & Umbriæ duci nupsit. Prioris vita curriculum hoc loco breviter tradendum vel ideo putamus, quod Olympiæ nostræ patrona & in studiis amula fuerit.

## §. V.

§. 5. De Anna  
principiæ

ANNA Atestina in lucem edita anno 1531. Annæ cognomen in memoriam avie Annæ Britannicæ fortita est. Adolescentula eo tempore quo & Olympia in aulam Ferrarionem perivit, Latinæ linguæ se dicabat decem annorum princeps, Fabulas tum quasdam Italicas Latino idiomati donavit, quales versiones ut perfectas & omnibus numeris absolutas Calcagninus (a) celebrat. Nec græca intacta reliquit quod ex Aonio Paleario (b) didici. Ab optimis magistris, quos communes cum Olympia habuit,

(a) In Epistolis ad eam hoc de negotio datus, in Opp. Calcagni, pag. 205. sq.

(b) Videatur Aonius Palearius Libro IV. Ep. 4, ad Barth. Ricciūm pag. 510. Ed. Wetfl. ubi ait: Nam quid est, si non hæc verissima gloria est, potentissimi Regis filiam, maximi Duci uxorem, sic servari in studiis nostris ut excellar? Annam vero & Lucretiam aureos Hereneæ partus,

scrutari interiores literas latinas & græcas Respondet Paleario Riccius Ep. sequenti pag. 512. Quod vero de principibus meis, tam doctissimis, quam etiam nobilissimis feminis scribis: Seio filias illas egregie eruditas esse & una cum aetate sua omnium etiam opinionem superare; easque suum locum quoque in nostris de gloria libris habere.

buit, Ferrariae instituta, quorumve infra mentio re-  
curret, progressus in artibus ac disciplinis variis  
fecit mirificos, legas quoquo, paſſim Thuanum, Rab-  
belaifium, Sammarthanos, Calcagninum, aliosque  
authoritatis non infimae scriptores, videbis eos vir-  
tutem multiplicem, pietatem, ingenium & eruditio-  
nem hujus principis mirum in modum evehere.

Henricum II. Galliae regem, nuptiarum conciliatorem naſta est, ex cuius voto anno 1548. Fran-  
cisco Lotharingico Duci Guifiano & Aumaliæ &c.  
Equiti ordinis Regii, Pari Franciæ, Praefecto & Pa-  
latii & exercitum Regiorum nupsit, quem tenerri-  
me amavit & matrimonii vincula ſancte & caste, ut  
decer, custodivit, quicquid Historici nonnulli ob-  
ſtrepan, vide ejus caſtitatem acriter defensam apud  
Bailium in Diſt̄ion. Tit. Guife. Tomo II. pag. 651.  
Hoc ex infidiis a ſicario Poltroto in obſidione Aure-  
liae anno 1566. perfoſſo & extincto, Jacobo Sabaudico  
Duci Nemurensi praefecto exercitum gallicorum  
in Italia demum cefſit, quo mortuo, vidua anno 1585.  
ſed prole illuſtriffima ſtipata manſit (c). Mundana  
relinquens ad cœleſtia tranſiit Luretiæ Parisiorum 17.  
Maji 1607. anno ætatis Septuagesimo Sexto; corpus  
ejus Anneciæ in Sabaudia (ubi alter ejus maritus ſe-  
pultus jacet) inhumatum, cor ſepulcro prioris ma-  
riti impositum fuit. Elogium funebre ipſi ſcripſit  
Severinus Bertrandus, teſte Morerio in Lexico. Tit.  
*Anne.*

Fuit ceteroquin piis ob religionem in Gallia ve-  
xatis addictissima: quum enim Franciscus II. & Ca-  
rolus IX. Galliæ reges impuberes ſub tutela matris

C

Catha-

(c) Vide Rabelaifii Ep. XIV. c. n, Sammarthanorum.

Catharinæ Médiceæ essent, (quæ imperii gubernacula dirigenſ, adjuvantibus Ducibus Guifis, ſummo studio pioſ Christi affeclis, clam infidiis, aperte bellis perfequebatur) Anna Eſtenis matris veſtigiis inſiſtens nunquam hiſ adverſa ſed propitiā fuit: va-  
cillantem aliquando erexit & in fide conſirmavit O-  
lympia, anno 1554. Epiftola ad eam plena admonitioni-  
bus graviflimis, ad pietatem & commiſerationem  
excitandam aptiſtimis ſcripta, ipſi ut rem innocentium  
tueretur perfuasit, adeo, ut Thuano teſte, quum  
laniena Bartholomæana indieta totum aulæ gynæce-  
um in feneftriſ ad ſpectaculum ſtetiflet, ſola Anna  
Guifi uxor lacrymas non tenuerit, & Catharinam  
ultra monuerit, ut fi regem ac regnum ſalvum ve-  
llet, ab innocentum ſuppliciis abſtinere juberet. Mu-  
ltos tum, maxime Michaelis Hospitalii Cancellarii fili-  
liam arabie perſecutorum & ſicariorum ſalvos præ-  
ſtit, quamobrem singulari carmine Annæ Hospitali-  
lius gratias egit, quo virtutes & pietatem ejus egre-  
gie cecinīt. Annam Evangelii luce illuminatam  
quoque fuifſe, non obſcure Thuanus Libro 24. Hi-  
ſtoriæ ſuæ innuit, ſcribens: *Annam a teneris annis  
Ferrariae ſub Renata parente, ei doctrinæ, quæ tunc exagita-  
batur, innutritam fuifſe. Olympie Morata lectrissimæ & erudi-  
tissimæ femina confuetudine ad id uſam.* Suader idem non  
una ratio, præterquam enim quod pium matris Re-  
natæ exemplum oculos habuerit, ex conversatio-  
ne itidem cum eruditis & piis Dei viris, qui tum Ita-  
liæ Evangelii lumen inferentes ad Renatam quaſi  
confluabant, puriore doctrinam hauiſt.

Renatæ, puriori Religioni faventis, tempore <sup>§. 6. Purioris</sup>  
 multos etiam e primis Religionis Christianæ restau- <sup>religionis in</sup>  
 ratoribus in aula ejus floruisse, diximus. Eos hoc <sup>aula Renate</sup>  
 loco recensendos judicamus, quorum alii ex lon- <sup>statores & fau-</sup>  
 ginquis præcipue Gallie regionibus accedentes Fer- <sup>tore extrani.</sup>  
 rariæ doctrinas suas propagarunt; alii autem Itali-  
 co semine concreti, ibidem, ex parte inquilini, ali-  
 quandiu vitam degentes, veritatem agnitam partim  
 apertius partim tectius professi sunt: inter priores  
 locum potissimum obtinent, vir summus Joh. Cal-  
 vinus, Clemens Marottus, Leo Jametus; postero-  
 ribus M. Ant. Flaminius, Marcellus Palingenius, Pe-  
 trus Martyr, Phannius Faventinus, Cœlius S. Curio  
 annumerandi veniunt.

I. JOH. CALVINUS e Galliis anno 1534. Basi- <sup>a. Job. Calvi-</sup>  
 leam profugus, ibidem librum institutionum sua- <sup>nus</sup>  
 rum auro contra carum publicavit & Regi Francisco  
 I. dedicavit, mox anno 1535. vertente <sup>(a)</sup> certiora de  
 pietate & studio Renatæ religioso subauscultans,  
 nullus dubitzvit semiñ veritatis, quæ alii jam Ferra-  
 riæ sparferant, sua doctrina irrigare: Beza in vita  
 Calvini ad annum 1534. scribit; <sup>Edito hoc libro (b)</sup>  
*Suaque veluti præfita patriæ fide, Calvinum visenda Ferrari-*  
*ensis Ducisse Ludovici XII. Francorum Regis filie, cuius tum*  
*pietas celebrabatur, simulque Italæ velut procul salutandæ de-*  
*siderum incessit. Illam igitur vidit, simulque quantum ad*  
*illum facere præsens rerum status sinebat, in vero pietatis flu-*  
*dio confirmavit, ut eum poscea vivum semper unice dilexerit,*  
*ac nunc quoque superflues gratis in defunctum memorie speci-*

C2

men

(a) Vide Bailium in Dict. Tit. Fer-

| (b) Videlicet Institutionum sua-  
 rum.

men edat luculentum (c). Maimburgius in Historia Calvinismi ad annum 1536. singularia quædam de rebus a Calvino Ferrariae gestis narrat & profert, v. g. Calvinum manibus pedibusque studuisse Renatam a Lutheri secta ad suas partes pertrahere, item quod sermones sacros coram ipsa habuerit, quod persecutionem severam veritus nomine fictio Happenili assumto Ferrariae delituerit, nec non alia, quæ cum partim veri, partim falsi speciem habeant, suo auctori relinquimus (d). Id certum est Calvinum quum pericula imminerent anno unico vix Ferrariae exacto, quam celerrime multis in veritate confirmatis, instigante W. Farelo, Alpium jugis superatis, Italia ingratia excessisse (e).

b. CL. MAROTT  
sus.

II. CLEMENS MAROTTUS Calvinus hoc in pio negorio succeſſit, is Lutheru & Calvinu teſte additus fuit, quamquam enim ſaepius negaret & pernegraret ſe non Lutheristam (f) eſſe, certum tamen eſt, illum

(c) Confer. huc Melch. Adamus in Vita Calvini.

(d) Maimburgio in plerisque Variis Historia Hæres: Libr. X. concinere videtur, cuius fidem autem Balilius in Diff. Tit. Ferrare & alibi valde dubiam redidit.

(e) Ita Pap. Massonus Foresius in Elogio Calvini pag. 416 refert. Profectus est Calvinus in Italiam ad Renatam, quod ea nova fætæ Hæreticorum multum favere diceretur, dimissoque Calvini verbo Hebeillum se appellabat, ſusceptus ab ea eſt humanius. Diu vero in Italia eſſe non potuit, ne forte agnitus ad

ſupplicium raperetur, eti Clericum ſacerdoti interuenient agebat. Igitur per Penninas Alpes in Galliam reverſus, Genevæ pedem fixit preibis Guil. Farelli, qui veteribus ſacris municipio illo fugatis, novos ritus introducere cooperat.

(f) Marottus in Carmine iſto quo Regi ſata itineris ſui Lombardici narrat, Sorbonna membra culpat quod ipsum Lutheranismi inſimularent, cum Lutherista minime eſſet, hisverbis: De Lutheris il m'ont donné le nom, Qu'a droit ce soit, je leur réponds que non.

Mum aliquando quid pectore clausum haberet texisse, cuius propositi indicia hinc inde in suis carminibus dedit (g).

Cum in Galliis Lutheranismi suspectus coram Francisco I. accusaretur. & circa annum 1535. patria ejiceretur, primum apud Reginam Navarræ aliquando delitius, verum nec ibi satis tutus mox ad Renatam tanquam ad asylum configit (h). Marottus de se ipso testatur, quod Ferrariam & Ducissam Ferrarensim viderit, per Epistolas, quas in exilio ad Franciscum I. & Delphinum exaravit, quibusve reverti in patriam sibi ut licet rogat. Renata multum ingenio ejus delectabatur, eum protexit & a secretis esse jussit, atque per colloquia cum eodem creberrime inita non parum in religionis veræ cognitione profecit (i). Quamdiu Ferraria vixerit dubium est, Bailius in Diction. Tom III. pag. 349. Marottum non diu in palatio Renatae commoratum fuisse, atque an. 1536. Galliam jam resalutasse evincere conatur. An Ducissa Renata ipsa partes ejus coram rege defenderit & eum cum Rege conciliaverit? (k) an vero & in Lombardia parum tutus precibus a Rege redditum impetraverit, uti quibusdam placet; id in medio relinquimus. Plurima ad

C 3

ejus

(g) e. g. in Epistola quam absens ad feminas illustres Parisienses dederat, his versibus

*Je l'escrivrois, mais je crains la colere  
L'oisiveté des pretres & capots*

*Le la dirais, mais garde les fagots:  
Et des aubes, dont l'Eglise est fourrée,  
J'en parlerois, mais garde la bourré.  
conceratur Morerius in Lexico  
ad Tit. Marot.*

(h) Videatur Bailii Dictionarium Tomo III. pag. 349. & Sleidanus Libro XV. Historiarum.

(i) Vide Maimburgii Hist. Calvinismi ad annum 1536.

(k) Vide Bailium loc. cit. Flormundum de Raimond in Hist. de ortu & Progressu Hæresium Libro 8. Cap. 15. & 16.

ejus historiam pertinentia documenta hauriri poterunt ex Bailii & Morerii Lexicis citatis, item e Sammarthani Elogiis c. n. Cl. Heumannii, ad quos eruditum lectorem remittimus.

c. L. Jametus. III. LEO JAMETUS alias Lyon Jamet. Hunc Ferrariam visitasse & in Religionis articulis non longe a Marotto diffensisse e duabus Epistolis, quas Marottus ad eum scripsit & Titulo Gallico, *Du Coq a l'asne*, insignivit, atque ex ea quam Jametus ad Marrottum reposuit, discimus. Videtur acri ingenio exornatus fuisse, quare & Marotti amicitiam meruit, quod ex Epistolis citatis colligere est, quamobrem & Renata ipsum, cum ob Religionem e Regno Galliae proscriptus esset (I), protexit. Aliam rationem quamobrem Ferrariam visitaverit, indicabit Rabelalius Epistola XIV. ubi Jametum, ad lites Papae cum Hercule II. Duce Esteni circa Investituram Ducatus Ferrarensis intercedentes sedandas, Ferrariam venisse inuit.

### §. VII.

¶. 7. Itali. Transeo nunc ad pios Italos istos designandos, qui in tenebris Papatus densissimi Renatae ævo veritatis lucem Ferrariae micantem perspexerunt: Talis fuit.

a. M. A. Flaminius I. MARCUS ANTONIUS FLAMINIUS. Patre natus Joh. Antonio Flaminio Forocornelieni humiorum Bononiæ Clarissimo Professore. Ferrariæ claruit,

(I) Hoc perspicio ex ultimis literarum Iameti lineis, hujuscetextoris:

*Cest à Ferrare, au huitiesme an  
De la sienne proscription,  
Mais à la tienne intention,*

*Que ce soit le dernier, Amen.  
ubi de se ipso loquitur, & proscriptiōnem suam appellat, idem,  
quod Marottus exilium suum dixerat.*

claruit, teste Abrah. Sculreto in Ann. Eccl. ad annum 1528. Renata Ludovici XII. Regis filia, Herculi Duci Ferrariae, pupa ipsius Italia tenebras Evangelii luce reddidit illustres. Floruerunt in illius aula M. Ant. Flaminius, Marcellus Palingenius, alii Evangeliam amici. Thuanus placet hunc Flaminium doctrinam nostram non ab omni parte approbasse, refutare eum conatur Teissierius (a) in Elogio Flaminii, quod iste, Simlero teste, Petrum Martyrem Tigurinum ut Evangelicam doctrinam amplectetur impulerit & quod Hieronymi Savanarolæ martyrium Epigrammate venusto honoraverit, adeoque nostræ religioni nomen dederit: quibus objectionibus Thuanum defendens Bailius in Dict. Tit. Flaminius satisfecit. Denuo Teissierii causam suscepit Anctor anonymous Novarum Additionum ad Elogia Teissierii (b) dum & Bailium sibi refutandum summis: Verum largiuntur Teissierio, Thuanus & Bailius, Flaminium in quibusdam Religionis capitibus ad Lutheranorum placita propius accessisse, sed exinde minime demonstrari poterit, eum in aliis, maxime in sententia de SS. Eucharistia a Romana Ecclesia vel latum unguem discessisse, neque etiam uspiam saltē apud Pontificios Scriptores legitur, Flaminium & Papæ & Romanensi doctrinæ aut valedixisse (c), aut a sacris

Roma-

(a) In Elogiis virorum eruditorum, quorum Thuanus mentionem fecit, gallice editis.

(b) Liber hic impressus Berolini 1704. 12. gallico idiomate conscriptus.

(c) quod enim Teissierius scribit, M. A. Flaminium P. Martyrem ut nostram religionem amplect-

retur coegerisse, id veritati confitaneum non videtur, cum Simlerus, cuius testimonio nititur, nil aliud dicat, quam P. Martyrem cum Neapoli Prior esset, Sepius cum Benedicto Cufano, M. Ant. Flaminio & Ioh. Valdeso de religione contulisse, quod nil tale involvit, quale Teissierius vellet.

Romanorum abstinuisse. Ceterum insigne probitatis & pietatis Flaminio elogium tribuit Camerarius in vita ejus, præfixa editioni Epistolarum Flaminii Norimbergensi 1571. 8. ubi animum ad studium cælestis doctrinæ applicuisse dicit, cuius fundamentum solidum & illabefactatum tenuerit, quamobrem & odia & persecutio[n]es Pontificum sui ævi atque Romanensis factionis passus fuerit; „qui cum in confessionem veritatis paratos habeant laqueos, & ignem ferrumque expeditum, eousque etiam progressientes furore immanitatis suæ, ut ne mortuorum quidem sepulchorumque cadaveribus parcant, hunc ipsum furem Flaminii (d) corpus quoque corripuisse,“ meminit Camerarius l. cit. se audiisse qui perhiberent & affirmarent: At hos rumores inimicos Pont. Pauli IV. Theatini, ait, diffipasse, qui istud consilium cepisset, ut Flaminii corpus eratum de busto in profluentem curaret projiciendum; id enim non esse factum, sive quorundam admonitione pontifex delinitus, sive defervescente animi impetu sua ipse sponte sententiæ istius asperitatem mutayerit, censet. Pro certo autem asserit Thuano aliisque assentientibus, Flaminium quiete diem sum in Palatio Pont. Max. Pauli III. Farnesi obiisse, quem magnum patronum ac promotorem habuerat. Camerario contrariari videtur Manlius, qui in Collectaneis locorum Communium Francof. ad Mœn. 1568. 8. editis, Flaminium narrat mortuum jussu pontificis effosum & cadaver ejus combussum. Verum hic forte falso rumo-

(d) Quem hoc loco cirum doctrinæ ac pietatis praestantem & veritatem assertum, borum disputatione ad actionem deducentem nuncupat.

rumori, de quo Camerarius, assensum ut indubia relationi præbuit, non autem quemadmodum Clariſſ. Authori Bibl. Brem. Cl. VII. pag. 577. vīsum fuit, Flaminium cum Phannio seu Fannino Faventino confudit, hujus enim cadaver non effossum & dein ustulatum, uti de Flaminio fama tulerat, vide infra §. XIII. Neque etiam illud, quod de Flaminio adjectit Manlius, eum Pſalmos reddidisse versibus, in Phannium quadraret; nam martyrologia Phannium, adeo ignarum Linguae Latinæ profitentur, ut, quum in rogo quædam latine cum παρηστα loquere-  
tur, illud a circumstantibus pene miraculi loco ha-  
bitum fuerit. Undenam quæſo rudi linguae Latinæ  
vena poetica affluxisset? Flaminium virum  
humaniorum literarum peritissimum paraphrasi  
Poetica Pſalmorum librum illustrasse (e), eruditis  
diu innotuit, quod de Phannio in Actionibus  
martyrum Basileæ editis, ubi scripta ejusdem recensen-  
tur, nuspiciam dicitur. Plura de Flaminio legere cu-  
pienti, consulimus, præter Thuanum, Bailium, Ca-  
merarium & Theißierium citatos, adire Hoffmani-  
ni Lexicon Univ. Tit. *Flaminius*. Cel. Schelhornii A-  
mœnitates Liter. Tomo X. pag. 1146-1165. Biblioth.  
Brem. Classem VII. pag. 573. & 930. sq. item Long-  
golii Epistolas ad Familiares, in quibus non pauca  
ad ejus Historiam spectantia reperiuntur.

II. MARCELLUS PALINGENIUS. Quis sub b. *Marcellus*  
nomine hoc vel ficto vel ascitito latere voluerit, in-  
certum est. Si conjecturæ locus foret, diceremus  
sub hoc velamine clientem quendam *Renate* insi-  
gnem latitare, qui in memoriam beneficiorum

D a Re-

(e) Vid. Fabricii Biblioth. Græca Vol. VII. pag. 677.

a Renata acceptorum, nomen suum in illud *Palingenii* seu *Renati* mutaverit. Quis autem ille? non nulli Petrum Angelum Manzollum (*f*), alii Marsilium Ficinum subolent, sed fundamento solido destituti videntur; quibusdam audit medicus Herculis II. (*g*) Ducus Estensis: Sed adhuc sub judice lis est. In erudito opere quod Zodiacum vitæ inscripti, multos defectus Romanæ Ecclesiæ perspexit & taxavit, unde a Sculteto in Ann. Eccl. ad annum 1528. inter Evangelicæ veritatis in aula Renatæ assertores recensetur, inde & opera ejus a Pontificiis in Indice librorum prohibitorum ut Hæretica & Lutherana expurgantur; quamvis eum aperte ad nos transiisse, non constet. Post obitum ejus cadaver exhumatum, combustum & in cineres sœvitum est, ob impietatis (videlicet, quod malos mores cleri sale acerbo perfricuerat) crimen, teste *Lyl. Greg. Gyraldo de Poetis sui temporis.*

III. PETRUS MARTYR VERMILIUS, Florentia pulcherrima Italæ urbe oriundus, Theologus celeberrimus, anno 1500. prognatus, juvenis primum scientiis variis in Academiis & Monasteriis exornabatur, in primis Philosophiæ & Theologiæ sedulam operam navavit, cuius cursu legitime peracto in ordinem prædicatorum 26to ætatis anno promotus fuit, inde Italianam totam peragravit & in illustribus maxime urbibus publice docuit. Bononiæ, o-

pera

*Cf* ita cl. Facciolatus in Cel. Heunanni Poecili T. II. p. 175. censet, & suam sententiam ad struit anagrammate ita formato,

*Pier Angelo Manzoli,  
Marcello Palingenio;*

Verum cum plura hanc in rem non afferat, nec doceat, quis ille Manzollus sit? judicium meum suspendam.

(*g*) vid. Baylus in Diction. T. III, pag. 577.

pera Prioris cuiusdam, Hebraeum præceptorem natus est, qui ipsum in Hebraicis literis apprime eruditum reddidit, hinc ad interiorem cognitionem S. Literarum pervenit. Cum fama de eruditione Martyris inclaruisset, mox conventui Patrum collegii S. Petri adaram, quod Neapoli est, præfectus fuit, ubi gratia divinæ illuminationis illustrior & clarior ipsi affulgere cepit: Scholasticæ enim Theologiæ nœvis cognitis, Zwinglii, Buceri, Erasmi libros legit varios, ex quorum lectione multum profecit, adhæc quotidie pene cum amicis, qui puræ religionis studiosi erant, aliquid ex sacris Literis commentatus est, sic ut hujusmodi colloquiis multum utrinque in vera religione ædificarentur, inter hos vero quibuscum de religione conferebat, præcipui fuere Benedictus Cusanus, M. A. Flaminius, de quo supra, & Joh. Valdesius Hispanus. Cum autem aeri Neapolitano ferendo nimis imbecillis esset, alias Italæ civitates visitavit, tandem in patriam Florentiam rediit, reperit ibi virum, (tum adhuc cum nondum suos de Trinitate errores sparsisset) optimum (b) Bernardinum Ochinum, quocum de religione sermonibus habitis, consilia contulit deserra Italia Germaniam petere. Bernardinus inde decedens anno 1543. circiter Genevam pervenit; Martyr ipsum statim secutus est & Bononiam primum, mox Ferrariam profectus, ubique humaniter exceptus, maxime Ferrariae, ubi veteres amicos invenit & liberalitatemi

D 2

Rena-

(b) Vide pietatem Ochini laudatam ab Olympia nostra in Opp. pag. 168. 178. quæ ideo excusatetur a Lauterbachio in seinem Polnischen Socinismo: pag. 139.

Conf. Obsery. Selectarum Hallensium T. IV. ubi Obs. 20. vita Ochini & mores describuntur, ubi & pag. 418. Ducissa Ferrariensis fugam ejus adjuvasse dicitur.

Renata expertus est, uti omnes alii, qui illuc religionis gratia confluxerant, tandem per Alpes Rhæticas in Helvetiam transiit. Videatur *Josias Simlerus in vita P. Martyris.*

d. Fannius. IV. PHANNIUS sive *Fanninus Faventinus*; Authorum Clariss. Biblioth. Brem. pag. 577. Classis VII. hunc cum Flaminio Manlii confundisse, supra monuimus, pluribus ejus mentio infra §. XIII. recurret, ubi Martyrii ejus Historiam breviter trademus.

p. 37  
e. C. S. Curio. V. COELIUS SECUNDUS CURIO. Patria Pedemontanus, lectione sedula SS. Bibliorum & inquisitione diligenti scriptorum Zwinglii, Lutheri & Melanchthonis, cum acri judicio præditus esset, de veritate Evangelica convictus, eidem juvenis admodum nomen dedit, eamque propagare studens varias Italiæ & nobilissimas urbes peragravit, ob religionem multa iniqua, plagas, vincula, carcerem denique subiit: verum singulari Dei beneficio omnia pericula evadens, tandem a quibusdam Mediolanensis Reipublicæ principibus, qui eruditionem & ingenium & pietatem hominis mirabantur, in Papensem Academiam evectus & ibidem publicus Professor creatus, ubi per triennium magna cum omnium approbatione docuit. Sed cum Pontifex senatui sub fulminis sui pena mandaret, ut hominem caperent, illinc Venetas proficisciatur. Cumque ne hic quidem tutus esset Ferrariam contendit, ut de suis rebus cum Renata Principe nunquam satis laudata consilium caperet, cuius benevolentia cum propter eruditionem, tum ob puriorum religionem jam diu fovebatur. Heic in notitiam Fulvii Peregrini Morati pervenit, cuius hospitio utens & amicitia fru-

fruens, eundem senioris doctrinæ participem reddit,  
*videatur supra S. I.* Renata illum ad Lucenses in  
 Hetruriam misit, rata, posse eum illic latere: ac fuit  
 certe ab illis humanissime exceptus & in publicum  
 illius Academiæ Professorem electus. Sed cum non-  
 dum annum illic egisset ecce Pontificis ad senatum  
 literæ adsumt, cum mandatis, ut caperetur, Romam-  
 que traheretur. Senatus pro sua humanitate decer-  
 nit nequaquam esse capendum, sed potius illi signi-  
 ficandum, ut fuga sibi consuleret. Quamobrem  
 cum videret non posse se amplius in Italia esse, tu-  
 tum statuit in Germaniam transire; inde cum Re-  
 nata ducis commendatitiis literis ad Tigurinos,  
 Bernatesque profectus, ab his in Losannensis scho-  
 læ moderatorem suceptus est, cuique, antequam  
 Basileam veniret, quatuor integros annos magna  
 cum laude, magnoque studioforum emolumento  
 præfuit. Decessit A. O. R. 1569. De vita & scriptis  
 Curionis plura scire cupidus, adeat Teiffierium in  
 Elogiis T. I. in Elogio C. S. Curionis & Joh. Nicolai  
 Stupani orationem de Cœl. S. Curionis vita ac obitu  
 habitat Basileæ 1570. quam recudi curavit Cl. Schel-  
 hornius in Amœnit. Literariis Tom. XIV. Legi me-  
 rentur si ecclimina egregia ingenii Cœliani, liber in-  
 signis de Amplitudine Regni Dei, & liber famosus  
 inscriptus Pasquillus Ecstaticus, quo non jucundior  
 alter, quo ve mores cleri Romani & instituta ejusdem  
 facete, sed simul acute, solide, erudite atque elegan-  
 tissimo plane stylo carpit.

Commemorandi sunt & alii Viri eruditæ & egre- f. 155  
 gii, qui his temporibus Ferrariam (\*) illustrarunt,  
 D3 &

(\*) Hubertum Langutum, beatissima lectoris ad inclitissimas Europæ  
 memorie Augusti Saxoniae E. | aulas oratorem, Ferrariam vi-

& Olympiam nostram suis exornarunt encomiis,  
v. g. Cælius Calcagninus, (i) Lylus Gregorius Gyraldus, (k)  
Bartholomeus Riccius, (l) aliquie, qui, utut Romanæ  
Ecclesiæ addicti, benevolo tamen in eos fuerunt a-  
nimo, qui puriora sacra quærebant; Sed de his ver-  
bosius commentari nil attinet.

## S. VIII.

*S. 8. Anne & Olympia p. septores.* Hæc de eruditis, Renatæ diebus Ferrariae flo-  
rentibus & de veritatis Evangelicæ in Ferraria pri-  
mis assertoribus dicta hoc loco sufficient: Venio  
nunc ad illos, qui eruditionis laude tum Ferrariae  
inclity,

disse, ipse nos docet verbis (quaæ  
existant in Ep. 4. Secretis ejus-  
dem Libro I. P. II. Ep. 45. pag.  
111.) hisce.

Mortua est superiori mense in Gal-  
lia Renata mater ducis Ferrariae,  
qua fuit filia Ludovici 12. Regis Galliae,  
& Annae Britannie, qua Maximili-  
ano Imperatori disponata fuerat,  
sed ei a Carolo VIII. Regi Gallie  
repta fuit. Puto hanc Renatam  
super mortuum fuisse majorum sep-  
tuagenaria. Ante triginta annos  
cum ego Ferrariae vivens, jam  
professatur puriorum religionem, in  
qua permanxit constans usque ad mor-  
tem, sicutque saepe præsidio iis, qui  
per secutionem ob religionem patieban-  
tur. Unde conciimus Langue-  
tum, jam hic ad purioris Reli-  
gionis cognitionem perveniente, si  
conferatur Epistola 104. Lan-  
gueti, Libro 1. Ep. Secr. P. 2.  
pag. 264.

(i) Canonicus Ferrariensis & Pro-

tonistarini Apostolicus, vir per-  
spicacissimi ingenii, vaftæ eru-  
ditionis, orator juxta ac poeta  
elegantissimus, cuius opera simul  
juncta edita sunt Bafleæ, 1544.  
fol. Obiit anno 1540. Sepultus  
jacet in Bibliotheca sua, quam  
publici commodi esse jussit, que  
hunc usque in diem Ferra-  
riae in ætibus Dominici visitur,  
videatur Sweertius in Selectis  
Christiani orbis delitiis pag. 273.  
Morerius in Lex. Tit. Calcagni-  
nus.

(k) Cujus operum Syntagma eru-  
ditorum manibus teritur, ipse  
Ferrariae anno 1550. ætatis 72.  
varian fortunam perpetius obiit.  
(l) Hic itidem suis scriptis inclitus,  
sibi proposuerat libros de  
gloria confarenciare, in quibus  
& Renata & Annae Atestinæ  
laudes evehere voluit, teste An-  
onio Paleario, quos lucem alpe-  
xisse dubito.

incliati, sigillatim & studia & mentem illustrissimam  
puellarum Annæ & Olympiæ formando, lauream  
ob rem bene peractam summo jure demeruerunt.  
Posteaquam Olympia e tugurio parentum in pala-  
tium principis evecta est, similem mutationem fe-  
re in studiis subiit, relicto enim pulvere Gram-  
matico, ad publicas lectiones gravioris momenti ad-  
mota, pluribus iisque eruditissimis præceptoribus  
una cum Anna principe tradita est; primum equi-  
dem Italis parente Morato & Cœlio Calcagnino aliquan-  
tisper, dein Germanis maxime Sinapis, Chiliano &  
Iohanne magistris usा, uti literæ Cœl. S. Curionis in  
Opp. Olymp. pag. 205. nos docent. Pro Chiliano  
in Specie Thuanus in Hist. sui temp. Libro XVI. pag. 459.  
Ed. Paris. 1606. testimonium affert: Huic Olympi-  
am græcitatem suam debuisse; ipsa fatetur, etenim  
elaboratum Murii Scævolæ græcum panegyricum  
eidem offerens, pro instructione fidelissima in græ-  
cis literis (a) gratias egit. Hic Chilianus professione  
medicus, paulo post Ferraria relicta, Spieræ in Ger-  
mania medicinam docuit.

De Joanne Sinapio Chiliani fratre C. S. Curio-  
nis Epistola ad Xystum Berulejum missa, conserva-  
ta in Op. Olymp. pag. 97. nos certos reddit, ubi se-  
quentia leguntur: *Itaque cum Anna (Estenfis) iisdem*  
*literis a Joanne Sinapio viro summo institueretur, ut haberet,*  
*quocum honesta emulatione certaret, visum matri est (quam*  
*summi honoris gratia nomina) ut Olympia in aulam, in qua ali-*  
*quos annos magna cum laude fuit, advocaretur. Johannes*  
*Sinapius patre progenitus consule Suinfurteni, me-*  
*dendi*

(a) Extant in Opp. Olymp. pag. 73. & elegantiae nitorem præ ferunt.

dendi artem & humaniores literas primum Ferrariae docuit, deinde Archiater creatus Herbipolitani Principis & Prefulsi Melchior Zobeln dicti, ob eloquentiam insignem & eruditionem multorum favorem in primis Caroli V. potentissimi Imperatoris sibi conciliavit, obiit anno 1561. Videatur Sweertius in selectis Christiani orbis delitiis pag. 413, ubi carmen ejus funebre notavit, quo notabiliora vitae hujus illustris medici continentur. Scripsit Historiam urbis Suinfurtensis, cujus Epitome Munsteri Cosmographiae inserta, it. orationem adversus eorum ignaviam qui humaniores literas negligunt, cetera.

## 9. IX.

*S. 9. Olympia profectus, scripsi & legiones publicas,* Ex tantorum virorum institutione ita profecit Olympia nostra, ut omnium admirationem excitaret puella supra aetatem docta. His teneris annis Defensionem Ciceronis adversus quosdam ejus calumniatores elaboravit, in qua, ipso Calcagnino consente, mirum in modum veneres & gratias paternas expressit, quo suafore & in castris Ciceronis assidua & frequens fuit, ubi justa stipendia confecit & ad primos ordines pervenit. Tunc virgo quatuordecim annorum Epistolas latinas & graecas politissimas exaravit, quarum plurimae interierunt, vide Opp. Olymp. pag. 80. multa etiam ex Italico in Latinum Sermonem transtulit, quae temporis & fatorum iniquitas eripuit, praeter lepidos quosdam dialogos e joannis Boccatii (*a*) Decamerone. Observa-

(*a*) Scribitur & hoc nomen Boecacius, sive Bochas Iohannes; qui patriam natum Castaldum Flo-

rentini Ducatus oppidum. Epistoliarum Pontificiarum Magister, Philosophus, poeta & orator

servationes in Homerum scriptis, quem in succum & sanguinem verterat. Mutii Scævolæ laudes græce exposuit; nec non alia, quæ Vulcanus & Satur-nus dentibus invidis contriverunt. Vix biennium hisce negotiunculis ab Olympia dicabatur, cum non contenta laureolam in mustaceo quererere, ad altius gloriæ & honoris fastigium anhelavit, feria Philosophica & Theologica tractare inchoavit, in quibus haud fecus ac in ceteris scientiis excelluit, celerrima mentis acie difficillima quæque penetrans, atque in usus privatos & publicos convertens. Tantum puellam valere, satis miraculi erat; Sed quod Chilianus Olympiam αὐλοδακτονίη annumeret, (b) plane stupendum. Imo neque sic de studio & diligentia aliquid remisit: Verum plus ultra ipsi progre-diendum erat, collecto enim Thesauro scientiarum uberrimo, ex eo aliis distribuere & depromere nulla dubitavit. Prodiit itaque in publicum, Latine in auditorio Ducis Ferrariensis declamavit, præ-lectiones varias habuit, græce locuta est, Cicero-nis paradoxæ explicitæ, ad quæstiones respondit, ut cum veterum puerarum quavis, quæ quidem in- genii laude excelluerit, conferri posse videretur. Quo anno stolatum Professorem agere cœperit, ex

E

Coel.

suo tempore extitit clarissimus, interque eos numeratur, quo-rum studio barbaræ literarum pulsa. Fuit ingenio subtilis, eloquio disertus. Primum merca-tuæ operam dabat, quam tæ-dio correptus mox deseruit & ad Iure confultorum castra tran-siit. Familiaris ejus erat Fr. Pe-vrarcha bonarum literarum in

Italia restaurator. Siciliam, Neapolin & Venetas visitavit. Scripti Genealogiam Deorum & mul-ta amatoria, in primis librum cui titulus *il Decameron*, in quo, ridendo sapius verum dixit. Obiit anno 1373. ætatis 62. Confer. Hendreich in Pandectis Bran-denb. pag. 609. 610.  
(b) Vide Opp. Olymp. pag. 202.

Coel. S. Curionis Epistola quadam ad Xystum Be  
tulejum (c) innotescit; nimirum eam hæc omnia jam  
ante obitum parentis, sedecimo circiter ætatis anno  
peregisse: idem clarissus perspicitur e Præfatio  
ne primæ Editionis operum Olympiæ, quam Isabellæ Manrichæ Bresgnæ ill. feminæ Coel. S. Cu  
rio dedicavit, ubi & profectus ejus in Academia  
Ferrariensi factos distincte enarravit, quæ cum ma  
gni momenti sint nostra in Historia, Curionis ip  
sa verba infra adscripti. (d) Fallitur igitur Cel: Col  
omesius in Bibliotheca selecta, pag. 415. ubi de  
Olympia scribit, eam *atatis anno vigesimo nono publicas  
prælectiones græce in Cathedra Heidelbergensi* habuisse; pri  
mo enim e Curionis verbis citatis patet, eam ad  
huc puellam & quidem in Italia apud Renatam  
prælegisse, deinde & conflat Olympiam vix vigesim  
num nonum attigisse annum, cum fatalis Parca  
ipsi vitæ filium secuit. Errant in eodem tramite Theis  
sierius, Thomasinus aliquie, qui una cum Col  
omesio Olympiam in Germania publice docuisse tra  
dunt. Ceterum feminam in Italia ingredi auditoria,  
non adeo insolens esse e Morhofi Polyhistore Liter.  
Libro I. Cap. 14. §. 40. discimus, ubi de Academiis  
Itali-

(c) Conspicitur in Opp. Olymp.  
pag. 97.

(d) Observationes in Principem poeta  
rum Homerum Olympia concrifu  
rat: Carmina complura varisque  
de divinis præsertim rebus magnis  
cum lepore panzerat: Dialogos tum  
gratos tum laicos ad Platonis ac  
Ciceronis imitationem elaboraverat,  
ad eo perfekte, ut ne Zolus quidem  
ipse, quid reprehenderet esset inventus.

turus. Ac Prolusiones quidem il  
las tres in M. Tullii paradoxas,  
quas edidimus, quæ neoplatonici Græci  
appellant, sedecim vix annos na  
tæ confecit ipsa, & metum mal  
itiæ aliis & mulieribus & viris au  
diente, in privata Regiae Ferrari  
ensis Academia paradoxas ipsa ex  
plicatura, memoriter & venuste pro  
nuntiabit.

BS (35.) SC

Italicis differens, ait: ad Academias etiam matrone lar-  
vatae interdum accedunt; nam & illæ in poesi se exercent.

§. X.

Nil in rebus humanis firmum ac stabile: Vix s. 10. Exi-  
tus  
Olympia cœperat in luce & pretio principum & e-  
ruditorum Ferrariensium versari, cum subito vicis-  
itudinem acerbissimam fortunæ experiretur. Pro-  
cella oritur Henrico II. Gallico & Pontifice authore,  
qua correpti veritatis Ferrariae assertores omnes &  
singuli; Inquiritur in Lutheranos in aula Ferrari-  
ensi harentes, in quos circa annum 1547. acerrime  
sævitum, quare Olympia necessum habuit aulam vi-  
tare. Accessit alia afflictio, incidit in letalem mor-  
bum Fulvius parens, cui ut ministraret, relicta aula  
in domum parentum regreditur. Patre pie anno  
1548. defuncto, confessim ab iis a quibus minime  
debuerat, imo ipsa Renata deserta indignisque mo-  
dis excepta fuit: Pro labore & officio Annam  
Estensem quod literis ac scientiis variis instruxerat,  
tulit odium, nullusque tum erat, qui eam respicie-  
bat. His temporibus Paulus & Julius III. Pontifi-  
ces corycæos (a) per omnes Italorum urbes miser-  
rant, qui Lutheranos deferrent, vexarent, torque-  
rent & quosdam obstinatos supplicio afficere cura-  
rent. Tales quoque Ferrariam pervenerunt, qui  
summo studio omnes pios viros Ferrariae commo-  
rantes conquisiverunt & in jus vocarunt, iidem O-  
lympiam tum veritatem Evangelicam publice pro-

E 2 fiten-

(a) Quam difficile fuerit, sibi ab Ep. ad Moratum: vide Opp.  
hujus conditionis hominibus ca- Calcagnini pag. 168. 169.  
vere, exponet Calcagninus in

fitentem Herculi Duci detulerunt, cuius autoritate effectum, ut quæ eam tueri debuerat Renata, malevolentia Corycæorum & obtrectationibus quorundam improborum accendentibus, ab Olympia plane alienaretur. Nunquam tum, sunt Moratæ verba, *ipſi licuit quicquam altum aut divinum sapere, neque libros utriusque Testamenti legere*, parum absuit quin hæretica declararetur: Hinc tædio delitiarum aulicarum affectæ, cupiditatem Deus accedit studia Divina privatim persequendi.

## §. XI.

*S. II. Vitapri-  
vata.*

Vitam privatam virgo pie transegit. Mortuo patre, cum & matrem valetudinariam haberet, natu maxima filia rem familiarem Ferrariae administrare & fratrem fororesque honeste educare cœpit, præsertim sorores, quas habuit tres, disciplinis tum sexui sequiori propriis tum eruditis & sacris excoluit, imo harum unam dictam Victoriæ Latinitate & literis humanioribus exornavit, adeo, ut brevi temporis spatio singulas servitio illuftrissimis quibusdam Italiæ feminis tradere valuerit. Reliquæ Olympiæ tum occupationes studio rerum divinarum dicabantur, cui se totam tradidit, carmina græca pe-pigit & subsecivo tempore literis elegantioribus vacavit.

## §. XII.

*S. 12. Pericula  
ob persecutio-  
nem.*

Verum nec in abdita domo tuta latuit, persecutio in pios Lutheri & Calvini affecias nondum defruberat, cœlum acherontaque movebat Julius III. ut probos viros sedi suæ sese opposentes universos radicitus extirparet, antea dolo vulpino rem tentaverat, nunc leonino vultu miseros aggreditur. Cor-ripiunt-

ripiuntur plurimi Lutheranissimi suspecti, quem ejus  
rare cogebantur. Multi Ægyptiacas ollas mannae  
celesti præferebant, veritatem abjurantes sub ju-  
gum Papæ redeunt, qualis Valentinus Carchesius  
de quo Epistola Morata ad Carchesium in Opp. O.  
lymp. p. 114. 115. legatur. Alii veritatem confiten-  
tes, at metuentes solium verterunt, Germaniam, Gal-  
lia, Helvetiam, jugis Alpium superatis petierunt,  
uti Isabella Manricha Bresagna femina Curioni omni  
laude major & Morata ipsa fecerunt. Alii subito  
comprehensi veritatem strenue defendantes morte  
sua eandem confirmarunt. Talis in primis Phan-  
nius, cuius jam supra mentio facta est.

## ¶ XIII.

Hic PHANNIUS, sive Fannius, seu Fanninus §.13, D. Phan-  
nius martyris.  
oriundus erat ex quodam Aemilia oppido Faven-  
tia dicto (a) anno 1547. aut 1548. ab Antichristi  
ministris inquisitoribus in carcerem protritus, ob  
id modo, quod Christum servatorem unicum pro-  
fiteretur. Cum esset in carcere, uxor, liberique  
ejus & amici eum continuis precibus ita sollicita-  
runt, ut homo vietus eorum studiis, patrocinium  
veritatis suscepimus deposituerit, testimonioque ju-  
dicii sui, quod Evangelio dederat improbato, ve-  
niam & carceris liberationem sit consecutus. Ve-  
rum simulatque carcere dimissus est, ita animo fuit  
perturbatus, ut desperare plane videretur, & nisi  
Deus eum sua prehendisset manu, atque pro sua mi-

E 3

sericor.

(a) Vulgo Faenza, in qua urbe te- tal.) evangelium jam anno 1527.  
stie Paulo Sarpio in Hist. Conc. prædicari coepit est.  
Tridentini (pag. 40. Lat. & 49. I-)

sericordia retinuisset, in horribilem desperationem confusionemque prolapsum effet. Conscientia autem eum premebat, unde gravissimum illud suum peccatum gemere coepit, quod Christum abnegare ausus effet, precibus ardentibus a Deo veniam peccatorum rogat & nanciscitur. Confirmatus itaque majori studio causam veritatis tuitus est, obeundo Romaniolam vicinasque terras, docendo & instruendo homines tenebris Cimmerii obsecros, inculcando veritatem agnitam: Hujus negotii fama Romanam delata, iterum jubente pontifice anno 1548. Ferrariae capitulatur, in carcerem ductus, ibidem per biennium servatur, tandem ab Inquisitoribus capitatis damnatur atque Iulio III. Bullis suis efflagitante occisus est: Intercessit quidem Romae apud Papam pro Phannio Olympiā impulsione Lavinia Ruverensis princeps, Moratæ patrona, sed frustra. Adhortabantur Phannium nuntius Papæ, Monachi, amici, uxor & liberi, ut quæ contra Romanam dixisset Ecclesiam, revocaret; At nullis precibus, nullis minis flexus in veritate perstinxit, imo palindriam ipsi suadentes de veritate Evangelii convincere conatus est, neque lacrymas liberorum curæ habuit, quorum ejulatibus antea flexus occubuerat. Vitam adeoque laqueo finivit, corpus cremarum, & offa in Padum projecta. (b) De sermonibus, quos Phannius habuit egregios in carcere, in via ad rogum, & in rogo ipso, atque de violento ejus martyrio consulantur; *Actiones & Monumenta martyrum, qui a Niclefo et Hufso ad nostram etatem Evangelicam veritatem sanguine suo obsecnarunt.* pag. 162 - 166. Opus impreso summa

(b) Vide Opp. Olymp. pag 90. & 107.

sum Genevæ 1560. 4to per Ioh. Crispinum. In primis etiam Francisci Nigri Bassanensis brevis relatio de martyrio hujus excellentis viri, prelo commissa Clavennæ pridie Calend. Novemb. 1550. eodem anno, quo Fannius morti traditus, lectu digna est. Cujus hic Titulus: *De Fannini Faventini ac Dominici Bassanensis morte, qui nuper ob Christum in Italia Rom. Pontificis iussu impie occisi sunt, brevis Historia. Francisco Nigro Bassanensi Autore.* Hinc agnoscere poteris, pie Lector, quid a Romanensium Episcoporum Concilio sit expellandum, quum, qui illud indicet Papa, talia publice Christianeque cause prejudicia in medium proferre audeat. *Hi cum agno pugnabunt & agrus vincet illos. Apoc. 17.* M. D. L. Videtur equidem narratio Bassanensis in hoc dispareat ea, quæ in actionibus martyrum Crispini reperitur, quod hæc Phannium bis in carcerem conjectum & primum inconstanter fuisse tradant, qua de re altum apud Bassanensem silentium: Verum salva res est, facilis enim est conciliatio, cum Bassanensis tantum ultima (e) Fannii gesta exponat, Crispini autem martyrologium altius omnia repeatat. Scripta Fannii in martyrologio Crispini memorantur hæc: *Libri duo de proprietate Dei, duo de Confessione, totidem de modo ac ratione, qua fidelis homo cognosci atque ab infidiли discerni possit. Centum Homilia de maximis & gravissimis fidei capitibus. Italica omnia, Latinæ linguae enim parum peritum fuisse Fannium, supra monui. Fannium etiam Beza in Iconibus egregie laudavit.*

## §. XIV.

(e) De quibus & Olympia Morata intelligenda videtur, quando Fannii constantiam, quod nunquam neque metu mortis, neque

conjugis vel liberorum amore a septem  
tate discedere voluerit, laudat, vide  
Opp. Olymp. pag. 102.

## § (40.) §

## §. XIV.

*§. 14. Nuptia Olympia cum Andrea Grunthlero medico conciliata.* Olympia rebus familiae, negotiisque privatis districta, persecutiones & mala enarrata ingentia, nullum miseriarum exitum inveniens, semper in metu aspexerat: cum repente & fere inopinato, quasi e coelo ipsi auxilium & solamen apparuit. Degebat Ferrariae eo tempore ANDREAS GRUNTHLERUS ex Francia orientali oriundus, juvenis græcae & latinæ linguae bene doctus, qui medicos inclytos Ferrarienses audiebat, & speciminibus singularis eruditionis editis ibidem lauream medicam, Doctoratum puta, aſſectus erat. Is Olympiae summa eruditionem, moresque castissimos admiratus, eam, quæ vicissim nihil in homine præter ingenii dotes admirabatur, uxorem delegit, fibique pulcro connubio copulavit. Hunc Grunthlerum constat literis perpolitum, nec infimo loco natum & in re fatis lauta fuisse; probitatis præcipue documenta luculenta dedit, utpote qui nullo principis Ferrariensis odio, nullis miseriis Olympiae deduci potuit, quin ipsam in matrimonium duceret.

## §. XV.

*§. 15. Migratio in Germaniam.* Desponsata Grunthlero Morata jam exeunte anno 1548. (a) nuptias celebrasse videtur anno 1549. medio. (b) Eo tempore Ioannes Sinapius, profesoratu Ferrariensi deposito, Archiater Episcopi Heribopolitanus factus, Augustæ Vindelicorum commorabatur: Is Grunthlerum Ferdinando Regi Romanorum

(a) Colligo id ex literis quas anno 1548 ad Ioannem Sinapium de- ni Iphalma Typographicum numeris inhæreat,  
dit, vide Op. Olymp. pag. 86. (b) Vide Op. Olymp. pag. 83.

norum Caroli V. Fratri, Consiliario ejusdem Hermanno, & Comiti Fuggero de meliori nota commendavit, tantumque effecit, ut, cum Rex omnia prolixe promitteret & Italiā diutius tenere periculōsum nimis esset, Grunthlerum cum tori socia in Germaniam traxerit, qui vocationi istorum & authoritati obedientes, una cum fraterculo Olympiae Aemilio annos octo nato (c) demurū anno 1550. ineunte in Germanorū ditiones penetrarunt. Hac ratione Italia tam erudita femina, qua semet indignam fecerat, spoliata fuit, quam Germania alma mater lubens in finum suum recepit. Primum hi recens conjugati per aliquot menses in oppido quodam haud proculab Augusta Vindelicorum difſito, cum Georgio Hermanno Regis Romanorum consiliario fuerunt, cui medicam opem Gruntherus, Deo favente, tulit, quam Hermannus omni officiorū genere gratus, agnoscit: scribit L. Greg. Gyraldo Olympia; „Ego apud Hermannum libenter tissime sum, totum diem me cum Musis delecto: „nullis enim negotiis aliis ab illis abducor, ſapientia ſime me refero ad divina Studia, majorem ex iſis „quam ex illis & fructum & volupratem capiens. „De viro meo bene existimatur, res nostræ bono „loco sunt.

## §. XVI.

Hermanno relicto Gruntherus & conjux per aliquod tempus Augustæ Vindelicorum versabantur, in patriam inde migrarunt *Suinfurtum*, cujus oppidi senatus maritum Olympiae arcessiverat, ut ejus opera ute-  
retur propter Hispanos quos Imperator illuc hyber-

F  
nandi

(c) Quem Olympia Latinis & Græcis literis exornare instituerat.

nandi gratia miserat. Evidem Hermannus Con-  
filiarius ipfis Linceæ Austriae conditionem beatissi-  
mam obtulit, ut Regi Ferdinando Grunthlerus ar-  
chiater esset: verum hanc respuerunt, quod ibi li-  
bere Christum profiteri illicitum fore præviderent.  
Ioannes quoque Sinapius Heidelbergam Grunth-  
lerum diligenter commendarbat, cui tum non paruit.  
Priusquam vero Suinfurtum accederent, Bambergam  
transierunt, dein hunc fidum *suepyem* Virce-  
burgi visitarunt, ubi ipfis casus valde mirabilis eve-  
nit: Fraterculus Olympiæ Aemilius de fenestra ex-  
celso loco in terram super horrida saxa decidit, sed  
illi nihilo plus fuit mali ac si humi cecidisset, nihil  
mali consivit singulari ratione perdivinam provi-  
dentiam servatus. Ibidem Olympia more solito li-  
teris fe abdebat & saepe legens rotum protraxit di-  
em, majorem levationem non reperiens.

Dimiso beneficio Sinapio anno 1551. in patriam  
Suinfurtum Grunthlerus una cum uxore se confert,  
ut libere sibi Christum profiteri liceret. Heic pace  
fruens Olympia, aureos foetus protulit, Psalmos  
Davidis plurimos græcis carminibus reddidit; ho-  
rum nonnulli in operibus Olympiæ supersunt, ex  
quibus patescit eam Homerum fere ubique secutam  
fuisse. Carmine Heroico potissimum usus est: Ex-  
stat quoque Psalmus 46. ejusdem opera in Carmen  
græcum Sapphici generis transfusus, quem Xystus  
Betulejus aliisque non obseæ naris valde admirati  
sunt. Dialogos itidem Latinos composuit, quorum  
duo, quibus se cum Lavinia Ruverensi colloquentem  
singit, adhuc in Opp. Olymp. pag. 42. & 52. legun-  
tur. Invenit & Suinfordiæ hoc par nobile multos pa-  
tronos,

tronos, amicos, fautores, atque suaviter ac commode vitam transfigere coepit.

## §. XVII.

At brevis hæc fuit felicitas, hæc enim halcy<sup>s. 17. Calami-</sup>  
onia gravissima tempestas subsecuta est. Albertus tas <sup>Suinfor-</sup>  
Marchio Brandenburgicus strenuissimus belligera<sup>-</sup>  
tor, circa annum 1553. Franconiam & confinia bel-  
lis fere subruebat, is ob loci opportunitatem par-  
tem sui exercitus Suinfordii collocaverat, tum ho-  
fites ejus, qui plurimi <sup>(a)</sup> erant, urbem obsidere &  
oppugnare cooperunt. Deus hachora Olympiæ præ-  
sto fuit, & in anno caritate urbis maxima ad vi-  
tum necessaria benigne præbuit. Verum contagio-  
ne militum, quibus urbs refertissima erat, mor-  
bus adeo gravis pene omnes cives invaserat, ut fe-  
re dimidia pars civium enecata fuerit. Affectus  
fuit etiam hoc morbo amantissimus Olympiæ mari-  
tus, qui adeo graviter & periculose ægrotavit, ut  
illius vitae spes nulla supereffet. Verum Deus, qui  
claves inferorum tenet, illum ab inferis reduxit;  
licet nullum medicamen, pharmacopolis in urbe  
obsessa penitus exhaustis, abhibuisset. Solatio tan-  
tis in malis piæ Olympiæ verbunn Dei fuit, quo se-  
met sustentans nunquam ad ollas Aegyptiacas <sup>(b)</sup>  
respexit, mortem ibi oppetere maluit, quam alibi  
omnibus mundi voluptatibus frui. Morbo itaque  
illo mariti a Deo depulso mox a majore hostium  
copia urbs obsidetur, qui dies noctesque ignes su-

F 2

pra

(a) Erant illi exercitus Principis  
Herbipolitani, Episcopi Bambergensis  
genfis, Copia Electoris Mauriti  
Saxonum ducis, Ducum Brun-  
swicensium & Norimbergensis  
Reipublicæ milites.

(b) Ita persæpe Ferratiensis aut  
delicias nuncupat,

pra propugnacula conjecerunt, adeo, ut Olympia  
in cella vinaria latitare coacta fuerit.

## §. XVIII.

*§. 18. Suinfur-  
tenē excidum  
& Olympiæ  
exilium.*

Tandem cum hujus belli felicem exitum exspectarent abitu Marchionis, qui suum exercitum noctu alio abduxerat, in maximam inciderunt calamitatem; vix enim ille urbe egressus erat, cum postridie foederatorum Franconia principum milites, urbem defensoribus suis desertam, invaserunt accompilatam incendio penitus everterunt.

Deus Olympiam cum marito e mediis flammis eripuit, etenim quidam ex hostibus illos admonuerat, ut ex urbe exirent, ne & ipsi incendio abfumerentur. Huic paruerunt, ne obolum quidem efferenates & adhac in medio foro ipsis vestimenta detracta, neque Olympiæ quicquam præter linteum tunicam, qua corpus tegeret, relictum fuit: Libri, scriptaque omnia Olympiæ tum flammis devorata, quæ enim supersunt carmina, Epistolæ, cetera, ea Coelius S. Curio summo studio hinc inde conquivit. Maritus denique Olympiæ ab hostibus capitur, sed illa lacrimis & gemitibus αλαλήσει Deum comprecata, sibi restitutum vidit brevi. Sic pedites Hamelburgum iter fecerunt, quo Olympia vix perceptavit; inter pauperculas sibi ipsa videbatur omnium mendicarum regina, oppidum illud introivit nudis pedibus, capillis pannis, veste concisa, quæ quidem ipsi commodata erat. Ex illa itineris defatigatione ac molestia incidit in febrem, quam deinceps in tota peregrinatione colluctata est. Hamelburgi diu versari ipsis non licuit, quod incolæ ab Epis-

Episcoporum exercitibus sibi metuerent, igitur Comitatum Rineccensem petunt. In itinere iterum capitul maritus Olympiae praefecto Episcopi Heribolitani, qui sibi a Domino suo mandatum esse contendebat, ut omnes qui Suinfurto illuc profugi venissent, interficeret. Ibi igitur captivi interspem metrumque detentis, donec literis scriptis ab Episcopo dimitterentur. Tum demum Deus eos respicere coepit & primum eos perduxit ad Comitem Rineccensem, qui ipsos benigne habuit; dein ad illustres Comites Erbacenses transierunt, qui propter Christianam religionem saepe fortunarum & capitis periculum subierant, & clementiae singularis famam adepti erant, isti honorifice nostros exiles tractarunt, Olympiam veste & aliis rebus necessariis donarunt. Natu maximus horum Comitum Georgius <sup>(a)</sup> uxorem duxerat Elisabetham illustrissimi Electoris Palatini Friderici III. Sororem: Hæc Olympiam misere affectam, tanta charitate Furstenaviae exceptit, ut ipsam decumbenti suis manibus ministraret, quin & eidem pallam egregiam donavit. Alius vir nobilissimus, antea ipsius nomine quidem notus, dum in via essent, argenti numerum non contempnendum subsidio misit. Horum benignitate in tantis difficultatibus sublevati; donec Heidelbergam Grunthlerus a Friderico II. Comite Palatino S. R. G. I. Septemviro, ad medicinam publice in Academia Heidelbergensi, (tum

F 3 e cele-

<sup>(a)</sup> Georgius Comes pietatis insignis & acerrimi judicii vir fuit, vide Opp. Olymp. pag. 210. ubi dicitur; Concionatorem quendam, unum e subditis Comi-

tis, in oppidulo Michelstadt, affirmasse, se plus a Comite suo quam Vittebergæ in toto sexenio didicisse.

¶ (46.) ¶

¶ celebratissimis Germaniaæ) docendam anno 1554. accitus sit. Nactus est hanc spartam, commendatione potissimum Huberti (b) Thomæ Leodii, Comminæi Germaniaæ; sic P. Colomesius (c) Bibl. Seleæta pag. 416. me docuit.

§. XIX.

§. 19. Sedes Heidelbergæ primo statim anno novas calamitates subierunt; peste enim acerrime sœviente, Proceres ac cives Universitatis dispersi. Olympia & maritus, cum ubi pedem figerent, nescirent, Deo se totos tradiderunt & incolumes conservati sunt. Eadem lues Spieræ debacchabatur, indeque Dicasterium Amphictionum Germaniaæ illo tempore Eslingam translatum est. (a) Anno 1555. cum desæviisset pestis & cives academicæ pristinas sedes repeterent, Gruntherus strenue suo officio fungitur. Olympia omni supellectile libraria amissa, Coelii S. Curionis ac bibliopolarum Basiliensium (Oporini, Ikingrinii, Hervagii, Frobenii, Episcopii & Ioh. Heroldi) liberalitate, novam instruit bibliothecam, ad amicissima sibi literarum studia reddit, & haud ignara mali, miseris succurrit.

§. XX.

§. 20. Olymp. Olympia nil magis mente volvebat, quam in literarum studiis pulchre coepitis Heidelbergæ æstatem agere. Quem in finem Aemilium fratrem secum duxit, cuius & animum & studia formabat, item

(b) Vide Opp. Olymp. p. 129, 142.

latin en Espagne & quelques autres pieces.

(c) Cujus hæc sunt verba; Cet Hubert, est Hubert Thomas, dont nous avons le Voyage de Frederic 2. Electeur PA-

(a) Vide Opp. Olymp. pag. 143, 167. 184. & 201. it. Altingii Historiam Palat., pag. 160. 161.

item Ioannis Sinapii filiam Theodoram (a) Heidelbergæ recepit, quam latinis literis, & bonis moribus, exornare studebat: Sed Deo aliter visum, nam febri quotidiana & fere continua correpta, sensim corpus omnino & vires amitterebat, nullum habebat ciborum gustum, catarroho fere suffocabatur, febris & vehemens & affidua eam somno privabat. Cum itaque se brevi deceffuram prævideret, amicis primum ob exhibita beneficia & literis & ore gratias egit: Coelio S. Curioni, amico a teneris intimo. Ecclesiæ commoda literis vacillante manu scriptis commendat, ut quicquid ageret, ex usu ejus esset. Carmina & alia scripta, quæ potuit reperire aut in memoriam redigere post ruinam Suinfurensem, eidem misit, qui ista deinceps in lucem publice exposuit.

## §. XXI

Decessit Olympia magna cum aviditate & quasi §. 21. *Mors & Epitaphium,*  
alacritate quadam moriendi; cum persuasum haberet, se ex diuturnis cruciatibus, ex miserrima hac  
vira ad perpetuam felicitatem hinc evocari, dies  
noctesque dissolvi & cum Christo esse exoptabat.  
Votum hoc disticho expressit

*Dissolvi cupio, tanta est fiducia mentis,*

*Esseque cum Christo, quo mea vita viget.*

Cujus voti brevi post tempore compos facta est. Mortem sibi præfigit, maxime mensibus ante obitum tribus, literis ad sororem Victoriam & Patronam Laviniam Ruverensem scriptis, quibus significat brevi se ad exoptatum portum per venturam, fau-  
stum

(a) quæ jam Suinfurti apud Olympianam Grammaticæ fundamenta  
jecerat.

stum illum diem brevi fore, quo beatissimam vitam una cum ipsis actura sit. Felicem ejus discessum nemo melius ac ipse Gruntherus describere poterit, cuius de conjugi suavissima in Opp. Olymp. pag. 188-190. hæc sunt verba. „ Iam igitur ferme „ moriens, cum e somno paulo ante; experrecta „ esset, visa est mihi nescio qua dulcedine læta, clan- „ colum ridere. Accessi propius & quidnam tam „ suaviter rideret interrogavi. Videbam, inquit „ illa, modo in quiete locum quandam pulcherri- „ ma clarissimaque luce refertum, cumque plura præ „ imbecillitate proloqui non posset: Age, inquam „ ego, bono esto animo mea uxor, in illa, pulcher- „ rima luce tu habitabis. Subridens iterum annuit „ capite & paulo post; Tota, inquit, sum læta: „ nec plura deinceps locuta est, nisi cum jam ocu- „ lorum acies hebesceret. Vos quidem, inquit, vix „ amplius agnoscō, omnia autem cetera mihi vi- „ dentur plena esse pulcherrimis floribus. Et hæc „ quidem postrema ejus fuit oratio; Non multo e- „ nim post, quasi dulci quodam somno oppressa, „ efflavit animam. Cum jam per dies aliquot ma- „ gna asseveratione sèpius affirmasset, se nihil aliud „ magis cupere, quam dissolvi & esse cum Christo: „ cuius in sè maxima beneficia, quoties per vim „ morbi licebat, nunquam cessabat prædicare, quod „ eam verbi sui cognitione illustrasset, quod ani- „ mum ejus ab omnibus mundi hujus voluptatibus „ alienasset, quod desiderium vitæ illius æternæ in „ ipsa accendisset; nec se dubitabat in omni sermo- „ ne appellare Filiam Dei. Nihil autem potuit mi- „ nus ferre, quam si quis consolandi ejus gratia di- ceret

„ceret fore , ut ex hoc morbo convalesceret. Dicebat e-  
,,nim, Deum breve quoddam vitæ curriculum sibi cir-  
,,cumscripsisse, sed valde laboriosum & plenum æru-  
,,mnis: itaque non cupere se jam a calce ad carceres re-  
,,verti. Interrogata fuit eodem tempore a quodam vi-  
,,ro bono, an esset in animo ejus scrupulus aliquis, qui  
,,eam male haberet. At illa totis, inquit, ante hac sep-  
,,tem annis nunquam cessavit diabolus omnibus modis  
,,conari, ut me de fide vera deturbaret: nunc vero ac  
,,si omnia sua tela amisisset, nusquam apparet; Nec e-  
,,go in animo meo quicquam aliud sentio, quam sum-  
,,mam tranquillitatem & pacem Christi. Sed longum  
,,esset, si vellem enumerare quacunque illa magna cum  
,,admiracione nostra, qui illam audivimus, sancte, pie,  
,,constanter, fortissimoque animo dixit. „

Mortua est septimo Calend. Nov. anni 1555. cum non-  
dum annos 29. complevisset, nec totum quinquennium  
cum marito vixisset, qui hoc casu vehementer perculsus  
fuit: Sribit enim Coel. S. Curioni; se ea sola superficie omnia  
moderate ferre valuisse. At hanc calamitatem, tanguam decumanum  
fluctum aliis supervenientem, se plane oppresuisse, nec quomodo dolorem  
leniret invenisse. Amaverat eam nimirum ardentissime,  
quod animum magis sincerum & candidum, neque mo-  
res probiores sanctiores unquam vidisset. Optimam  
hanc tori sociam, cum Aemilio fratre brevi intervallo  
secutus est moestissimum viduus, cuius animus, quo ar-  
etiore vinculo copulatus erat, eo difficilius a pientissima  
uxore disjungi poterat. Corpus inhumatum fuit Hei-  
delbergæ, ubi in facello Academico juxta templum Pe-  
trinum ejus monumentum hunc in diem visitur, cuius  
effigiem studiose piætam (beneficio Theologi Halensis  
Celeb. D<sup>r</sup>. H. R. Pauli,) Editioni operum Olympiæ no-  
va, bono cum Deo, inseri curabo. Inscriptio monu-  
menti hæc est:

G DEO

## DEO IMM. S.

Et virtutis ac memoriae Olympiae Moratae Filiij Morati Ferariensis philosophi filiae Andreae Gruntlerj Medici conjugis lectissimae femine cuius ingenii ac singularis virtutis; linguae cognitionis in morib[us] ante probitas sumumq[ue]; pietatis studiis; supra communem modum semper existimata sunt. Quod de eius vita homini iudicata beata mors sanctissime ac pacatissime ab ea obita die vino quoq[ue] confirmavit testimonio: Obiit mutato solo Salutis D. L. V. sup milles. aetate XXXII. hic cum marito et Amilio fratre sepulta. Gulielm. Rascalonius. M. D.  
BB. M. M. PP.

## §. XXII.

§. 22. Elogia. Pie defunctam meritis ornarunt elegiis, quam plurimi amicorum, aliorumque doctorum ad quos fama Olympiz pervenerat. Jacobus Mycillus poeta Italus elegantissimus, Petrus Utinensis, Gilbertus Cognatus, Theod. Zwingerus, Philippus a Marinis, Hieron. Angenofus, C. S. Curio, Ofemianus Jctus, Chilianus Simapius, Caspar Stiblinus, Damasus aliquique quorum carmina operibus Olympiae adjecit Caelius a pag. 245. ad pag. 265. Certatim Olympiana nostrana collaudarunt sequentium temporum scriptores gravissimi, eruditissimi que. Thuanus Historicorum princeps (a) eam morum sanctimonias, ingenio & eruditione, cum quavis prisci avi comparandam seminam nuncupat, nec minus de scriptis ejus testatur, quod semina omni laude dignissima mores & raram eruditionem exprimant, & quid a tam excellensi ingenio expellari potuissent, nisi pramatute adeo in visus

(a) Hist. sui Temp. pag. 459 Ed. Paris. 1606.

vis esse" desisset, "clare ostendat. Hujus Thuani incomparabilis, censor iniquissimus & absurdissimus, Jesuitarum alia redolens Job. Bapt. Gallus, JCTus Bavarus in notationibus ad Thuani Historiarum libros (b), hoc judicium Thuani, quem false, scilicet, novum Calvinianarum Amazonum laudatorem appellat, de Olympia perstringit; At nil aliud in ea culpat, nisi quod religione majorum relicta in Lutheri sinum se contulerit. Colomaeius in Bibl. Selecta ejus opera recensens, ait, eam ab omnibus istis laudatam fuisse, qui quidem de feminis eruditis locuti fuerint, & Gasparem Sardum ei Commentarium suum de triplici Philosophia dedicasse. Plura de Morata nostra testimonia legi poterunt apud Teissierum in Elogiis Parte I. pag. 100. & in Additionibus ad Elogia pag. 66. Jac. Phil. Thomaeum in Elogiis, Bezan in Iconibus, Melch. Adamum in vitis Philosophorum, ubi succinete vitam ejus descripsit. Stylum ejus laudat cum judicio D. G. Morbosius in libello de ratione conscribendarum Epistolarum Lubeck 1716. 8. edito, pag. 33. item in Polyhistore Literario Libro I. Cap. 24. §. 17. Epistolis Olympiæ inter ornatissimos Epitolographos locum dat. Addo denique testimonium Josie Simleri in vita P. Martyris Vermillii: ubi Nostra, ait, etate clarissime femine Jana Sufolzia Angla & Olympia Morata Italia, suo exemplo docuerunt, quid muliebre studium in eloquentia passisse, si eo animum appellar.

Liceat nobis his purpuris pannum nostrum attexere, ac precipuas Olympiæ virtutes nostro quoque exornare elogio, ut quam vere divina hæc fuerit mulier quivis cognoscat. Præter eruditionem haud vulgarem, atque indefessum bonarum literarum studium, eluxere in hac femina, non infuscatus religionis amor & summi numinis reverentia, mores castissimi, in maritum ac parentes pietas ac fides intemperata, in omnes præcipue veros Christi cultores studium sincerum & Zelus pro domo Dei ferventissimus.

G 2

Eru-

(b) Ingolstadiæ 1614. 4to. editis.

Eruditionis haud vulgaris testes certissimi sunt aurea, quæ incendium Suinfurtense effugerunt, scripta, de quibus vere dixeris: παντα μεν, αλλα μαλα λιγεσ. Stylum in iis tersum & facilem reperies, non ampullas Rhetorum, sed cum verbis rerum pondera profert. Ciceronem maxime imitatur, quæ græca composuit carmina veterem elegantiam redolent; Heroicum Scribens, Homerum æmulatur, Sapphicum adeo concinne panxit, ut altera Sappho nominari meruerit.

Sedula manu auctores tam veteres quam recentiores utriusque lingua volutavit, quorum sententiose dicta scriptis suis scite admiscerunt: inde Latini Græcique sermonis atque earum artium, quæ his continentur, maxime veteris Philosophia, in ea tanta fuit peritia, ut non modo mulieres eruditæ, verum etiam multis eruditos sui avi viros superaret. Literis adeo delectabatur, ut ornare illud tempus amissum censeret, quod in studiis non consumisset, neque unquam excidit ipsi illud: πολιτειαν αναλυει την ζωην.

Verum hæc nihil estimavit præ sacrarum Literarum cognitione, nil sibi durius videbatur, quam cum Ferrariæ degenti aliquando lectio SSæ interficeretur: Initio quidem in aula Ferrarensi longissime a divinis literis abhorruerat, sed felicitatem aulicæ vitæ fragilem esse edoceta atque multis adversis castigata, se vera eruditonis expertem esse & animæ suæ caliginem spissam offusam esse compcriit. Eas autem tenebras Deus discussit: multa ipfi singularis & divinæ sapientiæ lux oborta est; addidit Deus tantum filii sui rerumque Divinarum amorem, ut in terris agens animo versaretur in celo; in solidis fere Divinis literis caste delectabatur; omne suum studium, mentem, curam denique omnem in eo locabat, ut quantum fieri posset, hæc omnia contemneret, divinitas, honores, voluptates. Amorem Sacrarum Literarum in dies Deus magis incendit & auxit, cuius gratiam

am dies noctesque assiduis precibus efflagitabat. Nimis longum foret recensere, quoties ob omnia & singula beneficia, quæ corpore, quæ animo acceperat, Deo gratias egerit, quem solum auctorem bonorum omniam agnoverat.

Inconcussum animi robur ex eo perspicimus, quod submissa mente omnia adversa & æquo animo tulerit; calamitatibus licet ingentibus agitata, nunquam animum despondit. Omnim facultatum jastram, mari-  
ti captivitatem, morbum pertinacissimum, mortemque ipsam virili animo vicit & superavit.

Mores castissimos nemo melius, quam ipse Grun-  
lerus depingere potuit, qui se neque animum magis  
sincerum & candidum, neque mores probiores sancti-  
oresque unquam vidisse testatur.

Hunc maritum unice amavit, ejus voluntati se tota-  
tam conformavit, a quo honeste dissentire non potuit.  
Pietate in parentes maxime se Christianam esse demoni-  
stravit: Patri decumbenti aula relicta ad manus fuit;  
Matris jam senio proiecta rem domesticam curavit, &  
dein longo locorum intervallo ab ea remota animum  
literis erexit, & quoad res familiaris serebat, munus-  
culis submissis recreavit. Sorores tres honeste educavit:  
Fratrem Aemilium literis Græcis & latinis erudit ac  
filii loco habuit, cum prole careret. Erga præcepto-  
res & beneficos gratissimam se prabuit, nec quidquam  
officii, quod cuique debemus, in se desiderari passa est.

De superfluo & necessario dedit pauperibus, extor-  
res Suinfordenses agrotos Heidelbergæ curavit, pecu-  
nia sublevavit, multisque aliis beneficiis cumulavit. (4)

Laviniam Ruverensem principem' ducibus Spoleto  
& Urbini oriundam Theologæ senioris præceptis insi-  
git, eamque in veritate Evangelica & sermone & scrip-

G 3

(4) Vide Opp. Olymp. pag. 142. 146. 149.

tis confirmavit. (b) Peccatores in semitam rectam virtutis reduxit. Non extimuit, quendam Epicuri de grege porcum, parochum Baccho libantem, epistola vere Apo-  
stolica graviter reprehendere. Errantibus comiter mon-  
stravit viam. Laviniam Ruverensem & sororem Victo-  
riam de errore veteri amice monuit. Debiles in fide  
confirmavit; præcipue Annam Principem Estensem suis  
literis extimulavit, ut pro misericordia Huguenotis inter-  
cederet. (c) Omnes ejus Epistolæ salutaribus monitis  
sunt refertissimæ. (d)

Nec publicis Ecclesiæ commodis defuit, B. Lutheri-  
ri scripta hinc inde per Italianam sparsit, viros eruditos  
tum temporis Ecclesiæ Christi ministros excitavit & mo-  
nitis ursit, ut libris editis religionem veram promove-  
rent, & quum diu mente volvisset, qua ratione suos  
Italos bonis istis quibus Germania adfluebat, locuplet-  
aret, celeberrimi nominis Theologum Matthiam Flacium  
Ilyricum rogavit, ut libellos quosdam B. Lutheri ger-  
manice conscriptos, in quibus pontificiorum errores co-  
arguerat, in Italicum converteret sermonem. P. P. Ver-  
gerium hortata est, ut B. Lutheri libellum, qui Catechis-  
mus minor inscribitur, a Vincentio Obsopœo in Linguam  
Latinam conversum, in Italicam transferret, id enim  
emolumento suis Italos, præsertim juventuti futurum  
esse, docuit; hoc ut perficeret, fratrum suorum in Chri-  
sto causa, pro quibus vel mortem etiam oppitere de-  
beret, per Christum eundem obtestata est. Cum eo  
jam tempore infauit de sacramento Coenæ suborta es-  
sent lites, eas non Disceptationibus, sed fraterna tole-  
rantia componi posse & debere vidit, ad Vergerium  
scribens: Porro de Sacramentis magnam esse inter Christianos con-  
troversiam non ignoro, qua facile jam dudum esset dirempta, si  
homo-

(b) Quem in finem duos Dialogos  
composuit in Opp. Olymp. pag.  
42-64, locum tenentes.

(c) Vide supra §. V. p. 18.

(d) Evolvantur præ reliquis in Opp.  
Olymp. pag. 106. 115. 119. 123.  
131. sq. 174. 180. 181. &c.

homines non suam, sed Christi gloriam & Ecclesie salutem, que corde continetur, in consilium adhiberent. Hinc se Veritatis pacisque amantissimam esse demonstravit. Unam imo quæ habuit virtutem, & omnes, quæ induculo coherent vinculo, tenuit. Nos adolescentes, hoc virtutum exemplar intuentes, sedulo caveamus, ne in promtu sit illud probrum:

*Vos etenim juvenes, animum geritis muliebrem,  
Illa Virago viri.*

T A N T U M!



### ADDENDA.

Ad Praefat. p. 2. l. 10. ad verba: *Ireneus Bibliophilus*, adde; vero nomine Frid. Jac. Beyschlag. Vid. Schelhorn. Amoenit. Liter. Tom. IX. p. 747.

l. 18. ad verba. *Petrus Perna in urbe Basilea*, adde: *cujus Typographi monumentum hoc existat in Basiliensem monumentorum antigraphis Lignici anno 1602 a Simone Grunao Ligio editis pag. 63. Luminum datori aeterno. Petrus Perna Lucensis, cuius lucernam typographicam SS. religionis lucerna accendit, anno salutis MDXXCII. XVI. Augusti pie defunctus, heic cum Johanna Verzafsha uxore biennio ante defuncta & Laura filia, qua dies eheu! solos XIX. patri supervixit; sexagenario major conditur.*

Ad pag. 34. lin. 20. ad verba, *in Germania publice docuisse tradunt*, adde: Nonnulli Basilea Olympiam pralegisse tradiderunt, (vide Eberti Grossnetes Cabinet des gelehrten Frauen Zimmers p. 257.) quos refutare

¶ (56.) ¶

re nobis liceret: nisi idem actum censeremus  
a Cl. Zeltnero, *Diss. de erudita virginie Iudea per trans-*


*sennam docente.* p. 39-42.

Ad Pag. 51. lin. 16. ad verba; *vitam ejus descripsit*, adde: *E-*  
*logia quoque nonnulla Olympiæ exhibent;* Joh.  
Casp. Eberti in seinem eröffneten Cabinet. pag. 255-  
260. item C. F. Paullini in seinem Hoch- und Wohl-  
gelaßten Teutschen Frauen-Zimmer. pag. 97-100.

ERRATA.

Pag. 16. lin. 3. pro *e* lege *ex*; ibid. I. n. pro *amula* lege *amula*.  
Pag. 20. lin. 18. del. *notas*. Pag. 21. in notis (g) del. lin. 4.  
tota. ib. lin. 6. & 8. pro *garde* I. *gare*. Pag. 24. lin. 26. pro  
contrariavi lege contradicere. ib. lin. 28. pro *pontificis* I.  
*pontificis*. Pag. 26. lin. 26. *predicotorum* I. *Clericorum*. ib. n.  
(f) lin. 9. dele? Pag. 32. lin. 25. *Boccacii* ib. in  
nota (a) del. lin. 1. & 2. tota. & lege *Joannes Boccacius*  
*parr. n. Certaldum.* p. 34. *Theissierius* I. *Teissierius* P. 35. lin.  
7. *experiretur* I. *experta est*. ib. lin. 8. lege *auctore*. Pag.  
38. lin. 16. pro *Olympia impulsa* lege *Olympia impulsa*.

F I N I S.



AB 60047



3

TA → oc

W 18  
V 87

Yuli 1993  
W





J

DISSERTATIO HISTORICA  
DE  
**OLYMPIÆ  
MORATÆ,**  
VITA, SCRIPTIS, FATIS  
ET VIRTUTIBUS:  
IN QUA  
MULTA, HISTORIAM RENATI IN ITA-  
LIA TEMPORE REFORMATIONIS EVANGE-  
LII ILLUSTRANTIA, ADSPERGUNTUR;  
ATQUE  
NONNULLI ERRORES EORUM, QUI HACTENUS  
DE VITA OLYMPIÆ COMMENTATI SUNT,  
MODESTE EMENDANTUR  
A  
**GEORGIO LUDOVICO  
NOLTENIO, J.A.F.**

*FRANCOFURTI ad VIADRUM,*  
Typis SIGISMUNDI GABRIEL. ALEX. MDCCXXXI,

1731